ficor. ¶ Itē notandū q materia pt sumi dupliciter. vno mō p prima materia de qua dictum est: que ē subiectū generationis et corruptionis: ⁊ de se non includit formam. Alio mō pōt sumi magis large p omni illo quod cōcurrit ad compositionem alterius: et habet rationem potētialis et perfectibilis: ⁊ sic reperitur materia tam in rebus naturalibus q artificialibus: tā corporalibus q spiritualibus: ⁊ sic genus habet rationē materie: ⁊ illa que sūt in genere hoc mō habent materiaz: qz includūt realitatez generis que est potentialis ⁊ pfectibilis p realitatē drñie: vt dcm ē in pcedentibus: Sic etiā materia informata forma impfectior q ordinat ad determinatam formā dicit materia respectu forme pfectioris: respectu cuius est in potētia: et pōt dici materia secūda. Hoc etiā modo materia informata vltima et cōpletiua forma pt dici materia secūda forme accidentalis cuius ē receptiua: et ad quā est in potētia: sicut ferrū est in potentia ad formā cultelli: et hoc mō sumit materia in pposito. Hec aūt ē duplex: qz q̄dam ē pmanēs: que scz remanet in suo effectu sub ppria forma: sicut liguū remāet sub propria forma in forma statue. Alia est que non remanet sub ppria forma: sed de vna forma transit ad aliam: vt farina et aqua in pane: fenū et filix in vitro.

¶ Locus a causa materiali ē habitudo ipius ad suū effectum: ⁊ tenet affirmatiue de esse ad posse ī qualibet materia tā pmanente q trāseūte: vt ferrū est: ergo arma ferrea pūt esse. farina et aqua sunt ergo panis pōt esse. Maxima: posita cā materiali pōt poni eius effectus. Cum enī ipa sit in potētia respectu sui effect⁹ ipa posita pōt effectus ei⁹ poni q̄ntum ē ex pte eius. Et hoc mō pōt argui nō solum a materia ex qua: sz etiā a materia in qua cuiusmōi ē subiectū respectu accidentis: vel a materia circa quā: vt est subiectū vel obiectum respectu scientie vel habitus: vt corpus ē: ergo albū pōt esse: vel scibile ē: ergo scientia pōt esse. Ab effectu aūt materie pmanētis ad ipsam arguit ab esse effectus ad esse cause. Maxima. Posito effectu cause materialis pmanentis ponitur ⁊ materia pmanenēs. Ab effectu ⁊o materie transeūtis ad suam cām arguitur ab esse ad fuisse: vt panis ē: ergo farina et aqua fuerūt. Mō autē arguitur ab esse effectus ad esse talis materie: qz materia transiens non remanet in suo effectu quātum ad suam formam.

Cōtra predicta arguitur sic:

Ligna ⁊ lapides sunt: ergo domus pōt esse posito q non sit edificator. Item nō sequitur: Cultellus ē: ergo ferrum ē. qz cultellus potest fieri ex ligno vl alio metallo: ergo locus ab effectu cause materialis pmanētis nō tenet affirmatiue. Respōdēdo ad pmum dico q ad eē cause materialis nō sequitur possibilitas effectus respectu omniū causaz ei⁹: sz bñ seq̄tur possibilitas effectus q̄ntum ē ex pte materie. Ad secūdū dico q ibi non arguit ab effectu cause material' ad suā causam. qz cultellus ligneus non ē effectus ferri sed bñ seq̄tur: cultellus ferre⁹ est ergo ferz ē.

¶ Forma ē q̄ dat esse rei et eam ꝓseruat in esse: qz via generatōis forma sequitur materiā: ideo p⁹ locū a cā materiali diffiniēdo ipam formā: in q̄ diffinitōe subintelligit causa loco generis. Et ponitur: que dat eē rei ad drñiam materie: q̄ licz sit pncipiū intrinsecū cōpositi: nō tamen dat sibi esse specificum sed forma vt dictum ē: que si sit forma substātialis dat eē sūbale: ⁊ si sit accētal' dat eē accētale Pōitur aūt et cōseruat eā in esse ad differētiā cause efficientis et finalis: q̄ qñqz requiritur tm̄ ad fieri illius rei ⁊ non quantū ad esse. sed forma semp requirit ad esse rei. Et licet prima causa det esse omni creature et eam in esse conseruet: hoc ē extrinsece et effectiue: non intrinsece et formaliter: sicut hic sumitur.

¶ Locus a causa formali ē habitudo ipsius ad suum effectum: ⁊ tenet cōstructi

ne a causa ad effectum: ⁊ ecõuerso: ab effectu ad causã. vt albedo ẽ: ergo album est. Maxima. Posita causa formali ponitur eius effectus: ⁊ ecõuerso. Destructiue sic: Albedo nõ ẽ: ergo album non est. Maxima. Remota causa formali remouetur eius effectus: et econuerso.

¶ Et notandũ q̃ iste maxime sũt ꝓ ne nõ de fundamẽtis absolute ꝓsideratis: sed de fundamentis acceptis sub relatõib⁹ Et ideo de anima separata a corpe nõ seq̃tur: anima est: ergo homo ẽ: qr tũc aiã non stat sub relatõne cause formal'. Hoc idez patet in forma accidẽtali: ꝓtute eĩ diuina posset eẽ albedo sine subiecto: et tunc non sequitur: albedo est: ergo albũ est. qr tũc albedo nõ eẽt causa formalis in actu.

¶ Finis est cuius gratia aliquid fit: qr finis est vltimus in executione: ideo de causa finali post ceteras causas determinat auc. primo ipãm diffiniẽs. ¶ Circa quod sciendũ q̃ finis dupliciter accipiẽ: vno mõ ꝓ respectu duratõnis: vt mors quãdoq̃ dicit finis homĩs: et terminus pestis dicitur finis eius. Et sic nõ sumit in ꝓposito. hoc em̃ mõ finis nõ habz rationem cause. Alio mõ sumitur finis ꝓ illo quod mouet efficiens ad agendum: seu ad quod eius operatio ordinatur: et hoc modo finis est causa: et sic sumit in ꝓposito. Medium autẽ ordinatũ ad talem finem assequẽdũ ẽ effectus eius: sic ꝓtus ordinatur ad beatitudinem. Locus a causa formali est habitudo eius ad suũ effectum: et tenet affirmatiue respectu hoꝝ ꝑdicatoꝝ bonũ et malum: arguendo a causa ad effectum ⁊ ecõuerso: vt beatitudo ẽ bona: ergo ꝓtus ẽ bona. occidere hoĩem ẽ malũ: ergo gladiũ fabricare ad hoc ẽ malum. Maxima. cui⁹ finis bonus est: ipm quoq̃ bonum ẽ: ⁊ cuius finis malus ẽ: ipm quoq̃ malum ẽ.

¶ Contra hoc arguitur sic: nõ sequitur: Dare elemosinam ẽ bonum: ergo furari ꝓpter hoc ẽ bonũ: qr teste aplo: nõ sunt facienda mala vt eueniant bona. licet ꝗ finis sit bonus: tamẽ qõ ad ipm ordinat non ẽ bonum. Respõdeo q̃ illa maxia ẽ intelligenda de illo qõ ordinat ad bonũ finem ꝓm dictamẽ seu iudiclum recte rationis cuiusmodi nõ ẽ furari ꝓpter elemosynam tribuendam. Hoc enĩ nõ pugnit a dictamine recte ratiõis sz erronee.

De loco a generatione.

Generatio est. ⁊c.

Postq̃ auctor determinauit de loco a cã ⁊ effectu: hic ꝓsequitur determiat ō loco a generatione et corruptõne: et ꝑmo diffinit generationẽ di. q̃ generatio ẽ ꝓgressus de non esse ad esse. ¶ Circa quod notandum q̃ generatio hic nõ sumitur stricte ꝓ generatione forme substantial': sed sumitur large ꝓ acquisitione cuiuscũq̃ forme: siue subalis que dicit generatio simpliciter siue accñtalis q̃ dr̃ generatõ ꝓm qd ¶ Locus a generatõe ẽ habitudo generatõis ad genitũ: ⁊ ecõuerso a genito ad generationẽ respectu hoꝝ ꝑdicatoꝝ bonũ ⁊ malũ: vt generatio domus ẽ bona: ergo domus est bona. Generatio furis ẽ mala: ergo fur est malus. Maxia. Cui⁹ generatio ẽ bona: ipm quoq̃ bonũ est. ⁊ cuius gñatio ẽ mala: ipm quoq̃ malũ ẽ. Cui⁹ rõ ẽ: qr gñatio et genitum dicũt vnũ et idẽ eẽ. sz gñatio imptat ipz esse ĩ fieri: qr ꝓm cõmẽtatorẽ: motus est forma fluẽs seu in fieri: genituz ꝓ in eẽ pfecto ⁊ cõpleto. ⁊ iõ si gñatio ẽ bõa bonitate q̃ ẽ ex pte ipius geniti ad qõ terminat optet genitũ eẽ bonũ: ⁊ ecõuerso si genitũ sit bonũ: generatõ erit bona: et si sit malũ: generatio erit mala.

¶ Corruptio ẽ ꝓgressus ab eẽ ad nõ eẽ Et capitur hic progressus pro mutatõe in cõmuni que dicit dependentiã cuiusq̃ forme siue substãtialis siue accñtalis. Locus a corruptõe ẽ habitudo corruptionis ad corruptum. ¶ Circa qõ notandũ q̃ nõ esse rei ẽ oppositũ ipins eẽ rei: ⁊ ideo corruptio q̃ eẽntaliter imptat ñ esse rei ẽ quodãmodo opposita rei q̃ corrũpit. Non sic generatio opponitur rei q̃ generatur: sed gñatio ⁊ genitũ dicunt

vnum et idem esse rei: vt p̃missum est. ⁊ inde est q̃ arguit respectu diuersor̃ p̃dicator̃ a corruptõe ad corruptuz: ⁊ econuerso: licet in loco a generatõne arguat respectu eiusdem p̃dicati. Añ sic arguit in loco a corruptõe. Corruptio antichristi est bona: ergo antichristus est malus Maxima. Cuius corruptio est bona: ipsum quoq̃ malũ est. Vel sic: Corruptio domus est mala: ergo domus est bona. Maxima. Cuius corruptio ē mala: ipm̃ quoq̃ bonum est. Ratio hor̃ patet: q̃ corruptio dicit non esse rei: nõ esse autẽ boni est malũ: ⁊ non esse mali ē bonum. Similiter tenet locus a corrupto ad corruptionem formando eodẽ mõ argumẽta: et maximas transponẽdo termios tãtum. ¶ Sed cõtra p̃dicta arguit sic: nõ sequitur Latro est malus. ergo generatio eius ē mala: q̃ p̃t stare q̃ habuerit p̃fectam generationem: q̃ nõ tenet locus a generato ad generationẽ. Item nõ sequit Corruptio christi fuit bona: q̃ christus fuit malus: q̃ locus a corruptõe ad corruptũ nõ semper tenet. Respondeo ad primũ q̃ accipiẽdo malũ informiter in generatõne et generato: bñ sequitur: vt si latro sit malus in esse moris: sequitur q̃ generatio ei⁹ inq̃ntũ hmõi: siue ĩ q̃ntũ latro fuerit mala. Et sic debẽt sumi bonũ et malũ ad hoc vt hmõi loci valeant. argumentũ aũt p̃cedit de generatione latronis in esse naẽ. ¶ Et si arguatur q̃ generatio naturalis latronis fuerit perfecta et bona in esse moris: q̃ potuit generari a castis ⁊ sanctis parẽtib⁹ Respõdeo q̃ talis nõ generatur a sãctis parẽtibus inq̃ntũ latro: sed inquãtũ animal vel homo. ¶ Ad secundũ dico q̃ licet corruptio christi fuerit bona p̃ accñs siue quo ad nos: nõ tamẽ fuit bona ꝓ̃m se: ⁊ inq̃ntum destructiua christi: ideo ñ fuit bona in ratione corruptõis et p̃ditõnis ad corruptũ. In istis aũt locis debet argui de bonitate et malicia q̃ cõueniũt p̃ se corruptioni et corrupto.

De loco ab vsibus.

Lterius declarat auctor ꝺ loco ab vsibus. Et primo diffinit q̃d sit vsus dicens: q̃ vsus est operatio siue exercitiũ rei. Est nãq̃ vsus opatõ quavtimur aliqua re: vt secare est opatio qua vtimur securi vt instrumẽto: et equitare est opatio qua vtimur equo. Securis autẽ seu eq⁹ dicit res vsitata. Locus ab vsibus ē habitudo vsus ad vsitatũ: et tenet affirmatiue respectu hor̃ p̃dicator̃ bonũ ⁊ malum: vt secare est bonũ: ergo securis est bona. Occidere ē malũ: ergo occisor est malus. Maxima. Cui⁹ vsus bonus est: ipm̃ quoq̃ bonum est. et cuius vsus malus ipm̃ quoq̃ malum ē. Qꝺ non ē intelligendũ de bonitate vel malicia simpliciter: sed p̃ comparationem ad ipsuz vsum: et econuerso põt argui de vsitato ad ipm̃ vsum. ¶ Sed ꝓtra p̃dicta arguitur sic: Non sequitur: vsus legũ est malus ergo leges sũt male: q̃ añs p̃t eẽ verum ⁊ cõsequẽs falsũ. Potest eñ aliq̃s male vti legibus: vt puertẽdo iusticiam ⁊ opprimendo pauꝑes. Item p̃t aliq̃s male vti pane: vt si vtatur pane ad pcutiendũ ⁊ tamẽ nõ sequit q̃ panis sit malus.

Item videt q̃ iste locus nõ differat a loco cause finalis: q̃ finis est illꝺ ad quod res ordinatur: sed vsus ē hmõi respectu rei vsitate: vt equus ordinatur ad equitandũ: ergo locus ab vsibus et locus a causa finali erunt idem. Respõdẽdo ad primũ dico q̃ vsus ad quẽ sũt leges ordinate ē bonus: sicut et ipe leges. Sunt enĩ ordinate ad pacem ⁊ iusticiã ꝓseruãdam. Si ꝓ aliq̃s vtatur ipsis pueris: nõ vtitur ipis ad illud ad qꝺ sũt institute. vñ talis magꝭ dicit abuti legibus q̃ vti. Ad aliquid idẽ dicẽdũ ē de vsu panis. Ad aliꝺ dico q̃ licet vsus possit habere rationẽ finis: vt dcñ est ĩ p̃cedeñ. isti tamẽ loci sũt distincti. Non eñ ē incõueniẽs sup eandẽ rem diuersos locos fũdari ꝓm diuersas habitudines ibi consideratas: vñ ipa opatio ꝓm q̃ res vsitã est ad ipam ordinata poterit fundare locum a causa finali: ꝓm ꝓ q̃ est p̃ vtẽtẽ

exercitata fundabit locum ab vsibus.

De loco a cõiter accidẽtalibus.

Inde determinat auctor de loco a cõiter accidentalibus. Talia vero sũt duplicia: quedã enim aliqũ se ꝓsequũtur: aliqũ non: vt comptus et comptus et adulter. Nõ enim omnes compti sunt adulteri: ⁊ ab his nõ sumitur locus dialecticus: sed sophisticus. Alia vero sũt: quorũ vnũ necessario cõsequitur alium: licet nõ econuerso: vt delinquere et penitere: et ab his arguit affirmatiue a posteriori ad prius: vt penitet: ergo delinq̃t. Maxima. Si cõiter accidẽtiũ posterius inest: et ꝑ̃us inest. Negatiue aũt arguit a priori ad posterius: vt nõ delinquit: ergo non penitebit. Maxima: Si cõiter accẽtium prius nõ inest: nec posterius. ¶ Cõtra hoc sic arguitur: christus nõ delinquit: ⁊ tamẽ penituit: cũ pctã nostra in corpe suo portauit sup lignũ. Penitere enim ẽ penã tenere: ergo in his non valet argumẽtum negatiue. Itẽ deũ pẽituit hominẽ fecisse: vt habetur in li. genes: ⁊ tamẽ ds nõ delinquit: ergo in his nõ valet argumẽtũ: a posteriori affirmatiue. Respondeo ad argumẽta: Ad ꝑmũ dico q̃ licet christ⁹ penã peccatorũ nostrorũ portauerit: non tamẽ penituit ꝓpe loquẽdo. Penitentia enim ꝓpe ẽ dolor volũtarie assumpt⁹ ꝑ peccato a se cõmisso. Dicit tamẽ aliquis penitentiã agere ꝑ delicto alterius extenso nomĩe penitẽtie. Ad secũdũ dico q̃ vbi ẽ locutõ metaphorica. Dicim⁹ enim deũ penituisse: qr ad modũ penitentis se habuit delendo opus qõ fecerat.

De locis extrinsecis.

Sequitur de locis extrinsecis. ⁊c. Post q̃ auc. determiauit in ꝑcedentib⁹ de locis intrinsecis: hic ꝓsequenter determinat de locis extrinsecis. Est aũt loc⁹ extrinsecus: qñ terminus inferẽs est extra eẽntiã termini illati. Et diuiditur ꝑ locum ab oppositis a maiori: a minori: a simili: a ꝓportione: a transumptõe: ab auctoritate. Locus ab oppositis est habitudo vnius oppositorũ ad reliquũ. Et diuidit ꝓm quattuor spẽs oppõis. s. oppositionẽ relatiuã: cõtrariã: ꝑuatã: et contradictoriã: de quibus nota ea que dicta sunt in postꝑdicamẽtis. Circa relatiue opposita sciendum q̃ alius ẽ locus a relatiuis: alius a relatiue oppositis. Loc⁹ a relatiuis attẽditur ꝓm habitudinẽ corũ relatiuorũ adinuicẽ: qr vicz posita se ponũt: et perempta se perimũt: vt dictũ est in ꝑdicamẽto ad aliq̃d: vt si pater est: filius ẽ. si pater nõ est: filius nõ est: ⁊ ecõuerso. Locus vero a relatiue oppositis attendit ꝓm repugnãtiã quã habẽt ad eẽ ꝑ eodẽ respectu eiusdẽ: vt si sortes ẽ pater platonis: sequitur q̃ nõ est filius eius. Maxima: Posito vno relatiue oppositorũ in vno subiecto ab eodem remouet reliquũ. Iũ relatiue opposita se excludũt mutuo respectu eiusdem.

Sed contra predicta arguit

sic: ãs et cõsequẽs sũt relatiua inter se: cũ in omni loco sit habitudo termini inferẽtis ad terminũ illatũ: ergo omnis locus ẽ a relatiuis. Nõ ergo debet locus iste distingui ab alijs locis. Item nõ sequit: sortes ẽ pater homĩs: ergo nõ ẽ filius homĩs: ⁊ tamẽ arguitur ibi a relatiue oppositis. Respõdeo ad primũ: q̃ licet in omni loco sit habitudo termini inferẽtis ad terminũ illatũ: nõ tamẽ termini substracti sũt essentialiter relatiui: qõ requiritur ad istum locum. ¶ Ad secũdum dico q̃ ibi nõ arguit a relatiue oppositis: qr sortes nõ dicitur pater et filius respectu eiusdẽ: sed respectu diuersorũ.

Contrariorũ quedã sunt mediata: ⁊ quedã inmediata.

Cõtraria mediata sũt illa inter que cadit aliqua forma media eiusdẽ generis que pticipat vtrunq̃ extremũ: vt albũ et nigrũ: inter que cadũt rubeũ: viride: croceum: ⁊ alij medij colores. Inmediata aũt dicũtur illa inter que nõ cadit mediũ ꝓm formam: bũ tũ cadit mediũ ꝓm subiectũ: qõ dicit

mediũ p abnegationem vtriusq̃: vt sanum et egrum: lignũ eñ nec ē sanũ nec egrum. Locus a cõtrarijs est habitudo vnius cõtrariorꝫ ad reliquuz: ⁊ tenet affirmatiue. ſ. a positõe vnius ad remotionẽ alterius: tam in cõtrarijs mediatis q̃ inmediatis: vt sortes ē albus: g̃ nõ ē niger: sortes est sanus: ergo nõ est eger. Maxima: posito vno cõtrariorꝫ ī aliquo subiecto: ab eodẽ remouet reliquuz: qõ patet: qz cõtraria sũt forme maxime distãtes que vicissim insũt: ⁊ mutuo se expellunt: vt patuit in postpdicamentis. In ꝓtrarijs aũt īmediatis tenet destructiue: scz a negatõe vnius de aliquo subiecto ad positõnem alterius: vt sortes ñ est sanus: ergo ē eger. Maxima: Remoto vno cõtrariorꝫ īmediatorꝫ ponit reliquum. Ad hoc aũt duo requirũtur: primo cõstantia subiecti: q̃ vicz subiectum sit in rerũ natura. Et ideo nõ sequit: antichristus nõ est sanus: g̃ est eger. Secũdo requiritur q̃ arguat respectu subiecti determinati: qõ vicz sit aptum recipe hmõi ꝓtraria. ⁊ ideo nõ sequit: lignũ nõ est sanum: ergo ē egrum: qz lignũ nõ est subiectũ aptũ natũ ad susceptionẽ sanitatis vel egritudinis. ¶ Sed cõtra pdicta arguit de scuto cuius medietas ē alba: et medietas nigra: qz nõ sequitur: hoc scutũ est albũ: ergo nõ est nigrum: ergo locus a cõtrarijs nõ tenet affirmatiue. Respõdeo q̃ añs est falsum: qz tale scutũ nõ est simpliciter album nec simpliciter nigrũ: sed tũ scõm quid.

¶ Deinde determinat auctor de ꝑuatiue oppositis quorꝫ vnũ dicit negationez alterius in subiecto apto ad talez formã ¶ Circa quod notandũ: q̃ duplex est ꝑuatio: q̃dã pfecta: alia impfecta. Priuatio pfecta siue ꝓpe sumpta est que ꝑuat habitum seu formam: ⁊ tollit ꝑncipium primum eius: vt cecitas que priuat visum: et tollit debitam dispõem oculi ad videndum. De ista intelligit dictũ aris. in ꝑdicamẽtis q̃ a priuatõe in habitum imponibilis est regressus. Alia ē priuatio magis large sumpta: que licz priuet habitũ: nõ tamẽ eiꝰ principiũ corrumpit vt quies est priuatio motus: et tenebra ē priuatio lucis: ⁊ ignorantia scientie: Et ab hac bñ ē possibilis regressus ad habitũ seu formã quam priuat. ¶ Locus a priuatiue oppositis ē habitudo priuationis ad habitũ: et ecõuerso. ⁊ tenet affirmatiue: scz a positõe vnius ad negationẽ alterius: vt sortes est videns: ergo ñ est cecus: vl̃ est cecus: ergo ñ est videns. Maxima: Posito vno priuatiue oppositorꝫ remouet reliquũ. Negatiue vero nõ tenet nisi cũ cõstantia subiecti ⁊ tempore determinato a natura. Añ nõ sequit: Antichristus nõ est videns: ergo ē cecꝰ. qz antichristus nondũ est. Itẽ nõ sequit Catulus añ nonũ diem nõ ē videns: g̃ est cecus: qz nõ habz tempus determinatũ a natura ad videndũ. Item nõ sequitur Lapis nõ est videns: ergo est cecus. qz cecitas dicit carẽtiã visus ī subiecto apto nato cuiusmõi nõ ē lapis. Non valet etiã argumẽtũ a negatõne actus ad positionem ꝑuatõis qñ priuatio dicit nõ solũ negationẽ actus: sed etiã corruptõnẽ principij ipius: et ideo de illo q̃ dormit vel claudit oculos nõ sequit: iste nõ videt actu: ergo est cecus.

¶ Consequẽter auctor agit de ꝓtradictione ipam diffiniẽdo sic: Cõtradictio est oppositio: cuius scõm se nõ est dare medium.

Circa quod notandum q̃ carere medio aliter conuenit contrarijs inmediatis vel priuatiue oppositis aliter cõtradictorijs. Contraria inmediata licet non habeant medium scõm se siue scõm formam: habent tamen medium per accidens siue scõm subiectum: vt lapis nec est sanus nec eger. Contradictoria vero nullo modo habent medium. probatur: qmia quando aliquid per se inest alicui: cuius oppositum sibi non conuenit: nec per se nec per accidens. Sed carere medio inest contradictioni per se: vt patet ex eius diffinitione: ergo nullo modo sibi conuenit habere medium. Est autem

duplex contradictio: scilicet ꝓpositionũ et terminorum: De prima dictum est in primo tractatu: de secunda vero dictum est in postpredicamentis. Termin⁹ enĩ sumptus cum negatione: et sumptus sine negatione contradicunt: vt homo et non homo. Unde de quolibet verum ẽ dicere ꝙ est homo vel non homo: vt ibi fuit declaratum.

¶ Locus a cõtradictorijs est habitudo vnius contradictorij ad reliquum: ⁊ potest sumi scõm vtranq; contradictionez. Sed in contradictione propositionum debet argui respectu horum predicatorum verum et falsum: vt sortem currere est verum: ergo sortem non currere est falsum. Maxima: Si vnuz contradictoriorum est verum: reliquum est falsum. In contradictione vero terminorum debet argui ab affirmatione vnius ad negationem alterius: vt sortes est homo: ergo sortes non est non homo. ¶ Et notandum ꝙ Aristotiles in tertio topicoꝝ ponit duas consequentias circa opposita: quarum vna dicitur consequẽtia econtrario: alia vero consequentia in proposito. Consequentia econtrario est quando ex opposito consequẽtis infertur oppositum antecedentis: vt si est homo: est animal: sed non est animal: ergo non est homo. Consequentia autem in proposito est ex qua ex eo ꝙ aliquod p̃dicatum affirmatur de aliquo subiecto oppositum predicati affirmatur de opposito subiecti: vt iusticia est virtus: ergo iniusticia est vitium. Si enim oppositum in opposito: et propositum in proposito: hoc est: si oppositum vitij insit opposito iniusticie: vitium inerit iniusticie.

Sed contra hoc arguitur et videtur ꝙ inter contradictoria sit medium: quia ibi est contradictio media: ꝯ ⁊c. Respondeo ꝙ licet inter contradictoria sit contradictio vel relatio ratõnis media: ⁊ sic sit ibi medium scõm rationẽ non tamen ꝥm rem. Ipsa etiam relatio rationis non sic mediat inter contradictoria quin de illa dicatur altera pars contradictionis: et non ambe partes simul: est enim ens vel non ens.

¶ Alterius determinat auctor de loco a disparatis. Sũt autem disparata illa que sic habent rationes separatas ꝙ de inuicem non possunt verificari: vt homo ⁊ asinus. quantitas et albedo: licet autem talia possent reduci ad aliquam oppositionum predictarum sub nulla tamen earum per se et formaliter includũtur. ¶ Locus a dispatis est habitudo vnius dispatorum ad reliquum: ⁊ tenet affirmatiue: vt Sortes est homo: ergo si est asinus. Maxima: De quocunq; dicitur vnum dispatorum: ab eo remouetur reliquum. Non tenet autem negatiue: non enim sequitur: non est homo: ergo est asinus. Accidentia etiam in concreto cum de seinuicem verificentur nõ sũt dispata: vt album est quantum: sed bũ ĩ abstracto. Albedo enĩ nõ est quãtitas.

¶ Deinde determinat auctor de loco a maiori. Est autem maius illud qõ supponitur alteri in potẽtia vel virtute. minus vero quod supponitur ei.

¶ Locus a maiori ẽ habitudo maioris ad minus: et tenet negatiue: vt si rex nõ potest debellare castrum: ergo nec miles. Maxima: Si illud quod magis videtur inesse et non inest: nec illud quod minus.

¶ Locus a minori est habitudo minoris ad maius: ⁊ tenet cõstructiue: vt miles potest debellare castruz: ergo ⁊ rex. Maxima: Si illud quod minus videt inesse inest. et illud quod magis.

Sed contra hunc locũ arguitur sic: Episcopus nõ potest ducere vxorem: ergo nec rusticus: ⁊ tamen arguit a maiori ad minus negatiue. Respõdeo ꝙ licet episcopus sit maioris potestatis ꝯ rusticus: tamen illud predicatum ducere vxorez nõ magis videtur inesse episcopo ꝯ rustico: imo sibi repugnat. In hoc autẽ loco non debet argui a maiori ad minus absolute: sed debet argui respectu predicati: quod magis videt inesse vni ꝯ alteri.

¶ Consequẽter determinat auctor ꝺ loco a simili. Locus a simili est habitudo vnius similis ad reliquũ: ⁊ tenꝫ affirmatiue et negatiue. Affirmatiue sic. Sicut risibile inest homĩ: ita hinibile equo: ſꝫ risibile ē ꝓprium homĩs: ergo hinibile equi. Maxima. Si vnũ similiũ inest: et reliquum: vel de similibus idē est iudicium. Negatiue sic. Sicut risibile est hominis: ita hinibile equi: ſꝫ risibile non ē accñs homĩs: ergo nec hinibile equi'. Maxima: Si vnuꝫ similiũ nõ inest: nec reliquũ. Et debet argui ꝑ hũc locũ de similibus inquãtũ sũt similia: et nõ inq̃ntum sũt dissimilia. ¶ Sed cõtra arguit sic: In loco dialectico inferẽs debet esse notius illato: sed vnũ simile nõ est notius altero: ergo locus a simili nõ ē locus dialecticus. maior ē nota. minor ꝑbat: qꝛ similia sũt relatiua q̃ sunt simul natura. Respõdeo q̃ simile ꝑt capi duplicit vel formaliter ꝑ relatõe similitudĩs: vl fundamẽtaliter. ꝓmo mõ vnũ simile nõ est notius altero: qꝛ similia sunt relatiua equiparãtie. Secũdo mõ vnum ē notꝰ inesse alicui subiecto q̃ aliud alteri: sic notius ē risibile inesse homĩ q̃ hinibile equo: et hoc mõ sumit locus a simili: ſcꝫ ꝑ fũdamẽto qõ denomĩatur a relatõne similitudĩs. Primo aũt mõ arguendo a simili fm relationẽ similitudĩs est locus a relatiuis: vt sortes ē similis platoni: ergo plato est similis sorti.

¶ Insup determiat auctor de loco a ꝓportione dicens q̃ ꝓportio est rerũ differẽtiũ similꝫ habitudo. ¶ Circa qõ notandum q̃ ꝓportio ꝓpe ē habitudo vnius quãtitatis ad aliã. ⁊ hec est duplex: ſcꝫ equalitatis: cum ſcꝫ numerus equal' comparatur numero eq̃li: vt duo ad duo. Alia est ꝓportio inequalitatis: cum ſcꝫ numeri sũt inequales. Aũ aliq̃ numerus maior continet minorẽ bis: vt se habent quattuor ad duo: et sic est ꝓportio dupla. aliq̃ continet ĩpm ter: vt ſex ad duo: et sic ē ꝓportio tripla. aliq̃ ꝯo q̃ter: et sic ē ꝓportio quadrupla: ⁊ sic ĩ infinitũ: aliq̃ ꝯo numerus maior cõtinet totum minorẽ numerũ ⁊ aliquã ꝑtẽ eiꝰ ⁊ hoc fit multis mõis. Si eñ totũ cõtineat ⁊ mediã ꝑtẽ eius dicit ꝓportio sexquialtera: vt tria ad duo. Si aũt cõtineat totũ et terciã ꝑtem eius dicit sexq̃tertia: sicut quattuor ad tria. Si ꝯo totum et quartã ꝑtem cõtineat dicit sexq̃quarta: vt quinq̃ ad quattuor: ⁊ sic deinceps: de quo ꝓamplius als videbitur. Proportio aũt fundatur sup ꝓportiones: est eñ vt dicit Euclides quĩto geometrie similitudo ꝓportionũ: et hoc dupliciter: quia vel fm identitatem excessus vl fm idẽtitatem ꝓportionis. si sit idẽtitas vl equalitas excessus dicit ꝓportionabilitas arismetrica: vt sicut se habẽt sex a q̃tuor: ita octo ad sex. Sicut eñ sex excedũt quattuor in duabus vnitatibus: sic octo sex. Si aũt sit equalitas ꝓportõis: sic dicit ꝓportionalitas geometrica eo q̃ maxime valet ad geometricas mẽsuras. Geometre enĩ fm eandẽ mensuraꝫ ꝓportionẽ mẽsurãt: vt sicut sex se habet ad quattuor: sic duodecim ad octo. Sic enĩ sex ad quattuor ē ꝓportio sexq̃alterа: sic duodecim ad octo. Est ergo ibi essentialitas vel identitas ꝓportõis: non tamẽ excessus: plus. n. xij. excedit. viij. q̃ sex quattuor. Sicut aũt sumitur proportio in numeris: sic suo mõ ꝑt sumi in magnitudinibus. ¶ Notandũ insup q̃ ꝓportio aliq̃ sumit a doctoribus ꝑ habitudine rerũ eiusdẽ generis que ĩ quadam cõmẽsuratõne ꝓsistit fm quam excessum aliquotiens sumptũ reddit excedẽs. Proportionalitas ꝯo ꝑ simili habitudine rerum alterius generis. Sepe tamẽ vnũ sumitur ꝑ reliquo. Unde ꝓportio large põt sumi ꝑ quacunq̃ habitudĩe: vbi etiã ē cõueniẽtia fm analogiam. Locus a ꝓportõne ē habitudo vnius ꝓportionabiliũ ad reliquuꝫ: vt sicut se habẽt q̃ttuor ad duo: ita sex ad tria. sed quattuor ad duo ē ꝓportio dupla: q̃ sex ad tria ē proportio tripla. Maxima De ꝓportionabilibus idem est iudiciũ. Et ꝑ hunc locum põt argui a trãsmutã ꝓportione: qꝛ fm Euclidem: Si alique

quãtitates ꝓportionabiles fuerũt ꝑmutate ꝓportionabiles erũt: vt sicut se habẽt quattuor ad duo: ita sex ad tria: igiẽ compando primũ ad tertium: et secũdũ ad quartum: sicut se habẽt quattuor ad sex: sic et ad tria: sed quattuor ad sex est ꝓportõ sexqualtera: ergo duo ad tria erit ꝓportio sexquialtera. Differt aũt locus iste a loco a simili: qꝛ similitudo ꝓpe dicit cõueniẽtiã in qualitate. Est eñ similitudo rerũ ꝓprãtiũ eadẽ q̃litas: licet possz extendi ad qualitatẽ eẽntialẽ. Cũ ꝗ auc. q̃ in loco a simili accipiẽ compatõ ꝗm similitudinẽ inherentiũ. Inherẽtia enim ꝓprie reꝑitur in accñtalibus: licz large extẽdat ad q̃litates substãtiales. Inẽ accidẽtia aũt sensibilior ẽ qualitas: ꝯ magis ꝓcipit ipam inherere. ꝓportio autẽ dicit compationẽ quãtitatũ: ⁊ large extendit ad similẽ habitudinẽ quarũcũq̃ rerũ: vbi etiã nulla ẽ cõuenientia in q̃litate eẽntiali vel accñtali: sz tñ ꝗm analogiam.

¶ Alterius determiat auctor de loco a transumptone. Est aũt duplex transũptio: Quedã est qñ vna dictio vel oratio significans vnũ transumit ad significandũ aliũ ꝓpter sl̃itudinẽ in eis reptã: vt ridere: qꝗ significat risum ꝓ os emittẽ trãsumit ad florem; qꝛ vtrũq̃ ẽ gaudiosũ: et ista trãsumptio ꝑtinet ad sophisticũ. Alia ẽ trãsumptio qñ nomẽ magis noti sumit ꝓ noie min⁹ noto: vt si ponatur sapiẽs ꝓ philosopho: ⁊ ista ꝑtinz ad dialecticũ. Locus a trãsũptõe est habitudo nomis magis noti ad nomen minus notũ: ⁊ tenet affirmatiue et negatiue: vt sapiẽs currit: ergo pbus currit. Maxia Quicqd cõuenit alicui sub noie magis noto: cõuenit ei sub nomẽ minus noto. Et differt locus iste a loco a nomis intẽptatione: qꝛ ibi accipit diffinitõ nomis: hic aũt nomẽ magis notũ ꝓ min⁹ noto.

¶ Circa qꝗ notandũ q̃ ꝗm aliquos iste locus est idẽ cũ loco a nomis interptatione: qꝛ trãsumptio ⁊ transũptũ eãdẽ rez imptãt: sicut interptatio ⁊ interptatum. Alij vero sequẽtes auc. distinguũt locuz istum ab illo: qꝛ in loco a nomis interptatione sumit diffinitio nomis q̃ cõuertitur cũ interptato. In hoc aũt loco nomẽ magis notũ sumit ꝓ nomie min⁹ noto: siue imptẽt eãdẽ rem ꝓuertibilr siue ñ.

¶ Demũ determiat auctor ꝗ loco ab auctoritate. Est aũt auctoritas iudiciũ sapientis vel expti in sua arte: vñ auctoris iudicio denotat locus iste. Nocꝰ ab auctoritate ẽ habitudo auctoritatis ad illꝗ qꝗ ꝑ eã ꝓbatur. et tenet affirmatiue: vt pbus dicit celũ esse volubile: ergo ẽ volubile. Maxima: Quilibet expto in sua scientia credendũ ẽ. Qꝗ ẽ intelligẽduz de his q̃ dicũtur ab expto inq̃ntũ expt⁹ Et ideo nõ seqũtur: Aristo. dicit mõm ñ incepisse: q̃ mũd⁹ nõ incepit. Nõ enim Aristo. fuit exptus in omnibus dictis suis. Iste aũt locus nõ tenet negatiue. vñ nõ seqũtur: Aristo. nõ dicit esse decem orbes celestes: ergo nõ sunt. De hoc dicit frater Ockam q̃ locus ab auctoritate ẽ debilis nisi arguatur ab auctoritate illius qui fallere nec falli potest. Et ideo ñ sequitur: Aristotiles dicit hoc: ergo est verum: qꝛ ipe decipi potuit. Nec sequit Astrologus dicit sic: ergo ita ẽ. qꝛ quilibet astrologus decipi et decipe potuit. Multi etiã putãtur experti qui nõ sunt: ⁊ licet habeãt memoriam eoꝝ que viderunt vel audierũt: de his tamẽ certũ iudicium non habẽt. Multi nanq̃ memoria vigentes habent iudicium valde debile: verumtamẽ qui experti cõmuniter reputantur cum reuerentia exhibenda: ⁊ dicta eorum non spernantur nec reprobentur: nec negẽtur anteqũ cõstiterit q̃ sint dissona veritati: sed suspensa teneat sententia: siue sint dicta antiquorum: siue modernorum.

Equitur de locis med. js. ⁊c.

Postq̃ auctor determiauit ꝗ locis extrinsecis: hic cõsequẽter determiat de locis medijs.

Prius aũt auctor determiat de locis extrinsecis q̃ medijs: qꝛ intrinsecum et extrinsecum opponuntur. Oppposita autem iuxta se posita magis elu-

cescũt. Quid aũt sit locus medicus dictũ ē ꝓius: et diuiditur ꝑ locũ a cõiugatis: a casibus: et a diuisione. Coniugata sunt abstractum et cõcretum. Abstractũ vo dicit principale: et cõcretũ dicit sũptum qz sumit ab alio: vt album ab albedine. Que dicũtur cõiugata ꝓpter connexionem quã habẽt adinuicem. Significãt eñ licet alio mõ. qz ꝓcretũ significat formam cũ cadẽtia siue inherẽtia ad subiectũ: absolutũ vo sine tali cadẽtia. ¶ Locus a cõiugatis tenet affirmatiue: vt albedo ē color: ergo album ē coloratum. Maxima: si abstractum dicatur de abstracto: et concretuz de cõcreto ⁊ ecõuerso. ¶ Circa qõ notandũ q̃ hec ñ habet veritatẽ in concretis de genere substantie. Uñ nõ seq̃tur: hõ ē animal: ergo humanitas ē animalitas. Itẽ nõ tenet iste locus nisi in p̃dicamẽtis ꝑ se. Unde non sequitur: album ē quãtum: ergo albedo est quantitas. Notandũ insuper q̃ abstractũ põt dupliciter considerari. vno mõ vt informat suuz subiectũ. ⁊ dat ei esse: et sic ab abstracto ad concretum ē locus a causa formali ad suuz effectum. Alio mõ inquantũ ꝑtinet cõuenit cũ ipso: et partim differt: ⁊ sic sumit ab eis locus a cõiugatis. Casus dicũtur ꝓcretuz cum aduerbio: q̃ dicuntur casus: qz cadunt ab abstracto: vt bonum et bñ a bonitate: licet aũt in coniugatis vnum cadat ab alio: nõ tamẽ ambo a tertio. Locus a casibus ē habitudo vnius casuum ad reliquũ: vt iustuz est bonum: ꝗ quod iustum fit bene fit. Maxima. Si concretum asseratur de concreto: et aduerbiuz de aduerbio.

Disputationum alia fit ꝑ negationẽ: vt sortes aut ē homo: aut non homo. Alia fit ꝑ affirmationem: et hec fit tribus modis per se: et tribus modis per accidens. Primus modus per se ē diuisio generis in suas species vel differentias: vt animalium aliud rationale: aliud irrationale. vel animaliuz aliõ hõ aliud brutum. Secundus ē diuisio totꝰ integralis in suas partes. vt domꝰ alia pars est tectum alia fundamtũ. ⁊c. Tertius est nomis in significatões: vt canis alius latrabilis alius piscis marinꝰ: alius sydus celeste. Et notãdum q̃ licz significata accidant voci fm se cõsiderate vt ē quedã qualitas. de tertia specie q̃litatis continẽtur tñ ꝑ se sub ea inq̃ntuz est significatiua.

Disputatio etiã ꝑ accñs ē triplex: q̃dazeñ ē subiecti in accñtia: vt animaliũ: aliud sanum: aliud egrum. Secũda ē accidentis in substantia: vt sanoꝝ aliud hõ: aliud brutum. Tercia ē accñtis ī accidẽtia. vt sanoꝝ aliud ē albũ: aliud ē nigꝝ. Et oꝝ hec diuisio ꝑ accñs: qz mẽbra diuidentia accidunt diuiso: nec ꝑ se continentur sub eo. Locus a diuisione ē habitudo vnius diuidentiũ ad reliquũ. et tenet affirmatiue et negatiue qñ diuisio fit ꝑ duo membra inmediata: vt hõ est animal rationale vel irrationale. sed est animal rationale ergo nõ ē irrationale. Sortes ē homo vel non homo: sed non est nõ homo ergo ē homo. Maxima: posito vno cũdiuidẽtiũ inmediatoꝝ in aliquo subiecto ab eodẽ remouet reliquũ. ⁊ remoto vno ponit reliquum. Et hꝰ hz vitatem qñ vnũ diuidẽtiũ asserit vel negatur de aliquo cõtento sub diuiso. ⁊ iõ nõ sequitur. Lapis nõ est animal rationale: ergo ē irrationale: qz lapis nõ continetur sub animali. In diuisione autez que ꝑtinet plura mẽbra bene arguit affirmatiue sed nõ tenet negatiue nisi a negatione sufficienti terminorum ad positionem vnius. vt sortes nec est albꝰ nec rubeus nec viridus. et sic de alijs medijs coloribus: ergo est niger. Et notãduz q̃ membra diuidentia alicuius diuisionis possunt dupliciter considerari. vnoꝰ fm rationes ꝓprias eorum: et sic sunt opposita vel disparata. Et ab ipsis sumit locus extrinsecus. Alio modo considerantur inquãtum partim conueniũt cuz diuiso et partim differunt. ⁊ sic faciũt locum a diuisione.

¶ Expliciunt loci dialectici.

Incipiūt fallacie. Yllogismorum. ꝛc.

Postq̃ auctor determinauit in p̃cedētibus de syllogismo dialectico: hic cōsequēter determinat de syllogismo sophistico. Ad cuius euidentiam diuidit syllogismum in demonstratiuum dialecticuz et sophisticum. Syllogismus demonstratiuus ē qui ex primis veris ē syllogizatus: aut ex talibus que per aliqua prima et vera principium sue cognitionis sumpserūt. demonstratio enī aliquādo fit ex principijs simpliciter primis que cognoscunt cognitis terminis ita q̃ cognitio eorum non dependet ex alijs prioribus: ⁊ quo ad hoc syllogismus demonstratiuus dicitur esse syllogizatus ex primis veris. aliquando vero demonstratio fit ex p̃ncipijs que non sunt simpliciter p̃ncipia respectu aliquorum: sunt tamē conclusiones respectu principiorum primoꝝ: vt dictum est secūdo capitulo de locis dialecticis. ⁊ quo ad hoc dicit aut ex talib⁹ que per aliqua p̃ma et vera p̃ncipiū sue cognitionis sumpserūt. Talia enī licet non sint simpliciter prima: tamen euidēter possunt demonstrari ex primis principijs. Notādū aūt q̃ in demōstratione propter quid et potissima diffinitio subiecti ē medium ad probandum passionē de subiecto. Et ideo de tali dicit Arist. primo posteriorum q̃ augentur demonstrationes non per media sed in post assumendo et in latus. Cum enim vnius rei sit tantum vna diffinitio quiditatiua nō poterit in tali demōstratione eadem passio ꝓbari de subiecto p̃ plura media Et ideo demōstratōes nō augent seu ñ multiplicātur p̃ media: sed in post assumendo bene multiplicantur: videlicz sumendo sub minori extremitate: vt si arguatur sic: Omnis substantia corpea animata sensibilis ē cognotabilis. Omne animal est substantia corporea animata sensibilis: ergo omne animal ē egrotabile Et tūc p̃t multiplicari hec demonstratō sumendo sub animali aliquod inferius sic arguendo Omne animal est egrotabile: omnis homo ē animal: ergo omnis homo est egrotabilis. Potest etiā multiplicari in latus assumendo vicz plures species contentas sub animali: vt equus est animal: ergo equus ē egrotabilis: et sic de alijs. Per syllogismuz aūt demōstratiuum generatur in nobis scientia. Demōstratio enī ē syllogismus faciēs scire. Hoc autē non intelligitur de scientia cōmuniter sumpta: que ē apprehensio veritatis qualitercunq̃ se habentis: sed de scientia proprie sumpta: que fm Sco. in prologo p̃. sen. est cognitō certa absq̃ deceptione vel dubitatōne. de cognito necessario causata a causa euidēte per discursum syllogisticum. hoc apparet ex diffinitione scire primo posteriorum: vbi dicit q̃ scire opinamur vnum quodq̃ simpliciter et non sophistico mō qui est secūdum accidens cū causam arbitramur cognoscere propter quā res ē ⁊ quoniam illius rei est causa ⁊ nō est cōtingere alr se habere: vbi per illō quod dicitur et nō sophistico modo q̃ ē fm accidens: excluditur omnis incertitudo et cognitio apparens et fm quid. Per hoc aūt q̃ dicit arbitramur cognoscere causam rei designatur noticia euidens p̃ncipiorum. Per hoc autē q̃ dicitur ⁊ q̃niā illi⁹ est causa denotat applicatō p̃ncipioꝝ ad ꝛclusōes p̃ discursū syllogisticū. Per hoc āt q̃ dicit: nō ꝓtingit alr se hr̄e notat necessitas ꝛclusōis: vbi est necessaria ꝛnexio p̃dicati ad subm̃: ⁊ sic est īmutabil' ꝛitatis quātū ad eē q̃ditatiuū ⁊ specificū q̃ abstrahit ab exñtia q̃ ō se ē variabil'. ex q̃ infert pbs q̃ demonstratio p̃ quā gnat scia ē ex p̃mis īmediatis p̃orib⁹ notiorib⁹ causisq̃ ꝛclusōis Per p̃ma ītelligit p̃ncipia q̃ sūt inmediata: et ꝓpōes p̃ se notas non indigētes p̃ aliō ꝓbari: q̃ sūt p̃ores nā ⁊ notiores ipa ꝛclusōe cū depēdeat ab ipsis.

Syllogism⁹ dialectic⁹ ē q̃ ex ꝓbabilib⁹ est syllogisat⁹. Sūt aūt ꝓbabilia q̃ videtur omnib⁹ aut plib⁹ aut sapiētib⁹. Aliq̃ nāq̃ apparēt ꝛa omib⁹: vt q̃ omis mr̄ diligit filiū. aliq̃ ꝛo ñ omib⁹ sz plib⁹: vt q̃ om

nis homo desiderat scire. Alia vo sapientibus solũ: vt q̃ sol sit maior tota terra. Per syllogismum autẽ dialecticum generatur opinio qua quis adheret alicui parti contradictionis cum formidine de opposito: et licet iste syllogismus aliquãdo pcedat ex necessarijs sicut demõstrationis: non tamẽ ex euidenter notis.

¶ Syllogismus sophisticus est q̃ apparet esse syllogismus: et nõ est. vel qui ẽ syllogismus: sed non ẽ conueniens rei. In hac diffinitione ponuntur due ptes Prima ẽ q̃ syllogismus sophisticus apparet esse syllogismus et non est. In q̃ denotatur syllogismus peccãs ĩ forma. Talis enĩ non ẽ syllogismus: qz in ipo non seruatur forma syllogistica ꝓm debitum modum et figuram: vt homo est species: sortes est homo: ergo sortes est species. Secũda pars huius diffinitõis est q̃ syllogismus sophisticus ẽ qui est syllogismus: sed non conueniens rei.

In quo tangitur syllogismus peccans in materia quãdo vicz aliqua p̃missaruz est falsa: Talis eñ licet sit vere syllogismus: qz in debito mõ z figura: nõ tamẽ est conueniens rei. qz nõ pcedit ex probabilibus realiter sed tantũ apparẽter. vt omnis homo est species: sortes ẽ hõ: ergo sortes est species. Aliquis vo syllogismus peccat in vtroq̃: vicz in materia q̃ ĩ forma: vt oñis homo ẽ animal: nullũ risibile est hõ: ergo nullũ risibile ẽ animal.: qui quidem peccat in materia: quia minor ẽ falsa: et in forma: qz disponitur in prima figura: in qua minori existente negatiua nihil sequitur. ¶ In p̃senti igitur tractatu agitur de syllogismo sophistico quantũ ad eius compositionem et solutionem qui dicitur tractatus fallaciarũ. quia sophista per huiusmodi syllogismum intendit fallere respõdentem. Et est iste tractatus vtilis: quia non potest malũ euitari nisi cognoscatur. Per huiusmodi nanq̃ tractatũ potest studiosus deprehendere omnes defectus argumentorum peccãtũ in forma in quacunq̃ materia fiant. Dicitur etiã de syllogismis sophisticis elẽchis: id est apparentibus et non existentibus Verus enĩ elenchus est syllogismus cõtradictionis conclusionis. Sophista autem non vere sed apparenter tñ infert contradictionem conclusionis respõdẽtis. Dicit quoq̃ syllogismus sophistic⁹ apparens z nõ existens: non q̃ sit ñ ens simpliciter: sed q̃ non ẽ talis qualis apparet esse. Apparet eñ esse dialecticus et non est: sicut auricalcum licet sit aliq̃ ens existens: non tamen est auruz quod apparet commune.

¶ Notandum insuper q̃ licet habit⁹ logice qui docet compositionem syllogismum sophisticum et ipsũ soluere sit habitus scientificus: Sophista tamen ꝓm ipsum non est sciens: quod est intelligẽdum quãtum ad habitum generatum p syllogismum sophisticum Per ipm eñ non generatur habitus scientificus: sed talis syllogismus ordinatur ad deceptionem respondentis z apparentem sciẽtiam opponentis. ¶ Item notandum q̃ ad syllogismum sophisticum potest reduci syllogismus falsigraphus: qui scz procedit ex principijs alicuius scientie male intellectis. exemplum. principiuz est in geometria: circulus est figura plana vnica linea contenta: in cuius medio est punctus: a quo oñes linee ducte ad circumferentiam sunt equales. Si igit aliquis ab illo puncto qui dicitur centrum circuli ducat duas lineas ad circũferentiã vnã recte et aliã tortuose: z arguat sic Oñes linee ducte a centro circuli ad circũferẽtiã sũt equales: linea recta z curua sũt hmõi: ergo sũt eq̃les: tal facit syllogismũ falsigrafum: pcedẽdo ex illo pncipio male intellecto. Illõ eñ principium intelligit in lineis rectis: et ipe arguit ex vna linea recta et alia curua. qz vo syllogismus ẽ instrumentũ disputationis: syllogismus q̃dẽ demõstratiu⁹ ẽ instr̃m disputatõis: doctrĩal. dialectic⁹ ãt disputatõis dialectice tẽptatiue: z sophistic⁹ disputatiõis sophistice: iõ auc. pueniẽter ꝗscribit disputatõz d.

¶ Disputatio est actus syllogistic⁹ vnⁿ ad alterū ad ꝓpositum ostendendum.

¶ Circa quod notandum q̃ alr̃ disputatio est actus syllogisticus siue factus ꝑ syllogismum: et alr̃ est actus vnⁿ ad alterum: seu opponētis et respondētis. Est eñ actus syllogismi vt instrumenti per quod fit disputatio: ⁊ ē actus proponentis et respōdentis: vt efficientis ꝑncipalis: ⁊ talis actio ordinatur ad ꝓpositum ostendendum seu aliquid concludēdum ꝑm quattuor fines ad quos ordīat iuxta eius quattuor species: que sūt doctrinalis: dialectica: tēptatiua et litigiosa seu sophistica. Disputatio doctrinal' est que ex ꝓprijs principijs alicuius scientie syllogizat. et nō ex his que videntur respondenti. Cum eñ doctrinal' sit generatiua habitus scientifici ꝑ syllogismum demōstratiuum oportet q̃ procedat ex principijs scientie que gñatur siue videātur siue non. Qñ ipm̄ addiscentem oportet credere mgr̄o docenti.

¶ Disputatio dialectica est que ex ꝓbabilibus et collectiua cōtradictionum. ꝓcedit nanq̃ ex probabilibus: qz ordinat̃ ad generandum opinionem que generatur ex probabilibus: ⁊ sic ē collectiua cōtradictionum: qz ex ꝓbabilibus pōt argui ad vtranq̃ ꝑtem cōtradictiōis: et licet huiusmōi disputatio non possit generare opinionem de duobus ꝓtradictorijs in eodez tempore ⁊ respectu eiusdē qz nullus pōt simul cōtradictoria opinari: bene tamē potest in diuersis temporibus et etiam in eodez tempore respectu diuersoꝝ. Dicit̃ etiam collectiua contradictionum: qz pōt causare dubitationez de vtroq̃ contradictorioꝝ: licet aūt disputatio dialectica ordinetur ad generādum opinionem ex consequenti: tamen ordinatur ad disciplinam vel scientiam ad quam opinio disponit.

¶ Disputatio temptatiua est que ex his que videnī respondenti syllogisat: et q̃ necesse est illuz scire quoꝝ se simulat habere scientiaz. Cum enī talis disputatō sit ad habendū experientiam de sciētia respondentis: ⁊ hmōi experientia sumatur arguēdo ab his que videntur respōdenti: oportet in hac disputatione ꝓcedere ex his que sibi sunt ꝓbabilia: siue sint vere ꝓbabilia siue apparēter. Ex q̃ patet q̃ nō solum syllogismus dialecticus sz etiā sophisticus pōt esse instrumētum disputatōis. Et qz in qualibet scientia ꝑsupponūtur principia cōmunia ⁊ ignorātem cōmunia: necesse ē ꝓpria ignorare: iō hec disputatio habet fieri ex ꝑncipijs cōmunibus que necesse est illum scire qui habet aliquam sciētiam si etiā examen fiat in ꝓprijs oportet etiā tentandum scire ꝓpa.

¶ Disputatō sophistica est que ex apparenter probabilibus syllogizat. Cuius ratio est: qz ipa fit ad generandum apparenter scientiam in opponente: ⁊ deceptionem in respondente. Quod habet fieri ꝓcedendo ex apparentibus: ⁊ ordīatur ad quinq̃ metas: de quibus cōmuniter dicetur. Talis etiaz disputatio dicitur litigiosa ꝓpter commotionē ad irā et rixam. ¶ Et notandū q̃ iste quattuor species non sunt ꝓprie species disputationis: sicut nec syllogismus sophistic⁹ peccans in forma ē species syllogismi. qz ratio seu diffinitio syllogismi sibi nō cōuenit: quare non est ꝓpe syllogism⁹: sed paralogismus seu apparēs syllogismus: Sic etiā diffinitio disputatōis nō conuenit disputationi sophistice. dicuntur igitur species large et modi seu maneries: et licet non sint nisi tres species syllogismi ꝑm triplicem materiaz syllogismi. Syllogismus enī demonstratiu⁹ ꝓcedit ex necessarijs et euidentibus. Dialecticus aūt ex ꝓbabilib⁹. Sophisticus ℞o ex apparētibus. Ponūtur tñ quattuor spēs disputatōis iuxta ei⁹ q̃ttuor fines. Disputatio enī doctrinalis ordinatur ad generandum scientiam: Dialectica ad opinionez. Temptatiua ad scientiam experiendā in respōdēte: ⁊ sophistica ad apparentem sciam opponentis et deceptionem respondentis: licet autē apparens scientia sit finis ꝑnci-

palis sophiste: sūt tamē alij quinq; fines minus principales ordinati ad illū finē Sophista eīm non ducit aliquem ad illos fines minus principales: nisi vt appareat esse sapiens: et illi fines dicūtur methe. Est aūt metha inconueniens ad quod opponens sophista nititur ducere respondentem: quod quidem dicit metha trāsumptiue. Metha eīm ꝓpe dicta est terminus alicuius spacij: et dicit de metio: metiris: qz p tales terminos metitur quātitatē agri vel alicuius spatij. Metha igit disputatōis sophistice ē terminus vltra quem non procedit disputatio sophistica: sed ipo habito cessat disputatio: et sunt quinq: scz redargutio: falsū: inopinabile: soleocism⁹: ⁊ nugatō

¶ Redargutio ē p̄negati concessio: ⁊ p̄concessi negatio vi argumentatōis: ⁊ in eadem disputatione. ⁊ dicit in argumētationis: qz si aliq̄s volūtarie sustineat cōtradictoria: non ꝓpter hoc dicitur redargutus. Si etiam in diuersis disputationib⁹ hoc fiat: non ꝓpter hoc reducit ad metham redargutōis: qz nō ducitur ad inconueniens apparens astantibus.

¶ Falsum ē manifeste falsi cōcessio: vt si concedatur ignē non esse calidum. vñ licet sophista ducat respondentē ad falsum occultū: nō ꝓpter hoc ducit ad methā falsi: vt si faciat sibi concedere q̄ sol sit minor tota terra.

¶ Inopinabile ē quod contra opinionē omniū aut plurium: ⁊ maxime sapiētiuz vt matrē nō diligere filium. ⁊ hec dicit metha a metha falsi: qz licet omne manifeste falsum sit inopinabile: nō tamē omne inopinabile ē manifeste falsum: ĩmo multa inopinabilia que scz sūt cōtra opinionē plurium sūt vera: vt patet in theologia et philosophia de opinione cōmuni et opinione doctoris subtilis.

¶ Soleocismus ē vitiū in oratione contra regulas artis grāmatice factum: vt si aliquis ducat ad concedēdū istam: vir mea: sponsa meus: ducit ad methā soleocismi: et ptinet ad grāmaticū inq̄ntum dicit incongruitatem orōis: ad locū aūt inquātū impedit veritatem propositōis.

¶ Nugatio ē vniue et eiusdem in eadez pte oratōis inutilis repetitio: vt dicēdo bō currit. ⁊ dicit in eadē pte: qz si in diuersis ptibus fiat nō erit nugatio: vt hō est homo. et dicit inutilis: qz si fiat causa ornatus vel expssionis maioris non ē nugatio: vt deus deus meus.

Allacia. ⁊c.

Postq̄ auctor in p̄cedentibus determinauit de syllogismo sophistico et eius methis: cōseq̄nt determinat de locis sophisticis seu fallacijs. Et primo ponit fallaciā in cōmuni dicens q̄ fallacia est idoneitas ad decipiendum faciens credere de non ente q̄ sit ens: vel de ente q̄ sit non ens mediante fantastica visione. Circa q̄ nōtādum q̄ fallacia dupliciter capit. Uno⁹ passiue: scz que est ex deceptōne illi⁹ q̄ paralogizatur. s. respondentis: ⁊ tunc diffinitur sic. ¶ Fallatia ē deceptio impiti in arte sophistica ꝓpter ignorantiā artis sophistice. Alio modo capitur fallacia pro causa huius deceptionis: scz p loco sophistico in quo fūdātur argumēta sophistica. et ista sumitur in hac diffinitione. ¶ Ulterius sciendū q̄ in omni fallacia ē duplex causa: scz apparentie: que mouet ad credendum illud quod ñ est. ⁊ causa defectus que facit creditum esse falsū: et latet sub causa apparētie in fallacia eq̄uocatōis. Causa apparētie ē vnitas vocis cui videt corespōdere vnū significatū sub qua latet cā defectus: scz pluralitas significatoꝝ. Rōne igit causе apparētie fallacia seu locus sophisticus hz q̄ sit idoneitas decipiēdi: qz tali apparētia in dictōibus vel rebus sumit p intellectū discurrētē aptitudo ad decipiēdū sicut a loco dialectico elicit cōueniēs argumētū: hoc aūt fit mediāte fantastica visiōe siue cognitione intellectus misti et alligati fantasie qua sepe decipitur: nō aūt intellectus pure ⁊ imistus.

Fallacia aūt in cōi diuidit p fallaciaz in dictōe: et p fallaciā extra dictionē.

Fallacia in dictōe ē cui⁹ causa apparentie sumit ex pte dictōis: cui⁹ multitudo significatoꝝ sepe ignorat: ⁊ sumit ꝑ dictō

nō p voce incomplexa tm̄: sz p voce significatiua q̄ dr̄ vel pferē siue cōplexa: siue incomplexa. Ut̄ fm Aris. Fallacia in dictōe sumit qñ ex eisdē dictoibus vl' ozōib⁹ nō idē significam⁹. hmōi aūt fallacie sex sūt spēs. s. equiuocatio: amphibologia: compositio: diuisio: accētus: et figura dictōis. Fallacia extra dictionez est cui⁹ causa apparentie n ō fit ex multitudine dictionū: sz sumitur ex pte rerū q̄ p multiplices habitudines ignozātur nō quidē ex pte rez absolute: sed vt significanē p voces: et tales fallacie sūt septē: scz accēs fm q̄d ad simpliciter: ignozantia elenchi: petitio principij. ꝓñs nō cā vt causa: plures interrogatōes vt vna: et magis dicit fallacia extra dictionē q̄ fallacia rei: qz res nō cadūt in diffinitōe nec causant deceptionē respōdentis nisi p relatōes ad dcōes: licet etiā res ozdīe nature p̄cedant dictōes: qz tm̄ res nō cadūt in disputatōe nisi p voces ⁊ dictōes ideo p̄us agit de fallacijs in dictōne q̄ extra dictionem. ¶ Et notandū q̄ fallacie nō dicūtur in dictōe aut extra dictionem cā defect⁹ ex pte eap̄ cum in omnibus sit cā defect⁹ ex pte rei: vt patet i eq̄uocatōne vbi causa defectus est diuersitas significatoꝝ que se tenz ex parte rei. Quia vo numerus fallaciarū in dictōe sumitur fm diuersos mōs multiplicis: ideo auctor consequenter de ipis determinat. Est autē multiplex dictio vl' ozō vere vl' apparētēr plura significans. Et dicitur multiplex: quasi multiplicans in vnū. et est triplex. s. multiplex actuale: potentiale: ⁊ fantasticum. Multiplex actuale est dictio vel ozatio vna fm subaz et fm modum pferendi diuersa significans. Dictio in equiuocatōne: vt ciuis: O: ō in amphibologia: vt liber Aristo. ¶ Circa quod notandum q̄ littere ⁊ syllabe sunt materia seu substantia dictōis et dictiones sunt materia ozatōis. Modus aūt pferendi in proposito se habet vt forma. Ubi est ergo vnus modus pferendi: vbi est vna forma: ⁊ qz a forma sumitur actualis vnitas rei: ideo talis vox ē actualiter vna. Multiplex igitur actuale ē dictio vel ozatō actualiter vna multa significās. Multiplex potentiale est quādo dictio vel ozō eadem fm substantiam: et diuersa scōm modū pferendi diuersa significat: dico in accentu: vt populus. hec dictio prima longa significat arbozem: et p̄ma brevi significat collectionem hominum: iuxta illum Vlitz. Populus ē arboz: populus collectō gētis. Exemplū de ozōne in compōne ⁊ diuisione: vt quicq̄d viuit: semp est. qz hec ozō aliud significat si fiat punctus ad viuit: ⁊ aliud si fiat punctus ad semp. Est igitur multiplex potētiale qñ vox potētialiter vna plura significat. que dicitur potentialiter vna: qz tm̄ ē ibi vnitas materie et non forme seu modi pferendi. Multiplex fantasticum ē qñ vox vnum significans videtur aliud significare pp̄ter cōuenientiam ei⁹ cum alia dictione: scz vigere significat qualitatē: qz significat habere vigozem. qz vo silr̄ termīat̄ sicut agere videtur significare actionem. Et dr̄ multiplex fantasticū: qz tal' dictio nō habet plura significata fm veritatez sz fm apparētiā. Dicit enī fantasticuz a fanos qd ē appitio. ī ppo⁹ aliō hz q̄ sic.

Quiuocatio: ⁊c

Post q̄ auc. determinauit d fallacijs in gñali: h ñter determinat de ipis ī spēali. ⁊ p̄mo de eq̄uocatōe: q̄ scz peccat fm multiplex actuale dictōis. ¶ Fallacia aūt eq̄uocatōis ē idoneitas decipiēdi p̄ueniēs ex actuali vnitate dictōis pl'a sig̃cātis. Cā apparentie h⁹ fallacie ē vnitas dcōis pl'a significātis p̄pter quā vnitatē credim⁹: q̄ sic dictio ē actualr̄ vna: q̄ etiā habeat vnicū significatū. Cā defect⁹ ē plitas sig̃catoꝝ. Hui⁹ fallacie tres sūt mōi. Prim⁹ est qñ vna dictō eq̄ p̄ncipalr̄ pl'a sig̃t: cu iusmōi ē eq̄uocū a casu: ita q̄ nō impōit̄ ad sig̃candū vnū p cōpationē ad aliō: siue sit ab vno auctore imposita ad sig̃cā^m siue a diuers⁹. vt eq⁹ vno^a sig̃cat quoddā aīal. alio^q ⁊ illū q̄ fac̄ iusticiā ⁊ eq̄tatē. ⁊ fm hūc mo^m ꝓcedit̄ sic: oīs eq⁹ ē aīal

irratōale: iudex ē equus: ⁊ iudex ē aīal irrationale: qō sic soluitur: vtraq; p̄mis sarum ē duplex. Si enī in vtraq; capiatur equus pro illo animali: tūc maior ē vera: et minor falsa: et sequitur cōclusio falsa: et syllogismus est bonus: sed peccat in materia. Si vo ī vtraq; capiatur equus p illo qui exercet iustitiam etiaz syllogismus est bonus: sed maior est falsa. Si aūt in maiori sumatur p illo aīali ⁊ in minori p illo qui exercet iusticiaz sic ambe p̄misse sunt vere: sed non sequitur conclusio. Tūc enī cōmittitur fallacia equiuocatōnis ꝓpter equiuocationē medij. vñ discursus non valet: qz ibi nō est vnitas medij fm rem: sed arguitur ī quattuor terminis. Similiter arguitur sic. Oīnis canis currit: bellua marina ē canis: ergo bellua marina currit: ⁊ pōt solui vt p̄cedens. Utraq; enī p̄missaruz est duplex ex eo q hoc nomen canis vno modo significat canem latrabilem: alio modo canem marinum vel sydus celeste. Si aūt vtraq; p̄missarū sumatur pro latrabili: tūc minor ē falsa. si vo sumat p cane marino: maior est falsa. Si autē in maiori sumat p vno: et in minori pro alio: cōmittitur hec fallacia: et discursꝰ nō valet: qz medium variatur: et sic arguitur in quattuor terminis. Multa exempla huiusmōi ponūtur in textu. Et si arguit q illa maior oīnis canis currit ñ est distinguenda sed simpliciter falsa: cū oīnis distribuat li canis p oīnibus suppositis. Respōdeo q ly canis ibi distribuitur p omnibus suppositis vnius suorum significatorum nō p suppositis omnium suorum significatorum. ⁊ causa huius est: qz terminus equiuocꝰ nō pōt distribui vnica distributōne p suppositis plurium significatorū: cum vnitas distributionis p̄supponat vnitatem significationis: ideo fm q ille terminus p̄t capi pro diuersis significatis pōt diuersimode distribui p suppositis. Unde talis propositio ē distinguenda. Secundꝰ modꝰ est in equiuoco a consilio seu trāsūptōne quod quasi idem ē. Dicitur aūt equiuocum a consilio q significat plura nō eq̄ primo: sed significat vnum principalit: aliud vero minus principaliter ad quod significandum imponitur. Transumptio vo vt ibi sumitur est qñ dictio significans vnū proprie transumitur ad significandū aliud improprie ꝓpter quandā similitudinem in eis repertam: vt ridere significat actum oris: et transumitur ad significandum floriditatem prati. qz vtraq; est gaudiosum: vñ pōt sic argui Quicquid ridet habet os: pratum ridet ergo pratum habet os. Mō sequit: qz ridere alio mō sumit in maiori: alio mō ī minori. vel sic: quicq̄d currit habet pedes: secana currit: ergo habet pedes. ñ sequitur: qz maior est vera accipiendo currere pro motu pedū: minor vo accipiendo currere p veloci fluxu aq̄. et sic medū variat. ⁊ arguit in q̄ttuor termīs Tertiꝰ modus ē qñ compositū pl'a significat: simplex vo vnicū solū. vt mortale significat potens mori: immortale autē pl'a significat. qz negatō pōt ferri ad posse vel ad mori. Ñ primo mō tm̄ valet. sicut nō potens mori: vt ōs. Secūdo tm̄ valet sīē potens nō mori: vt Adam ī statu innocentie. ⁊ fm hanc sic paralogizatur. Oīne immortale ē ꝓpetuū: oīne potens nō mori est īmortale: ergo potens nō mori ē ꝓpetuū: discursus nō valz. qz maior nō est vera nisi de īmortali p̄mo sūpto: minor aūt de īmortali secūdo mō sūpto. ⁊ iōo cōmittit fallacia equocatōnis ꝓpter variationē medij. Similiter possz argui de hō termīo incorruptibile. in hō tertō mō p̄nt pōi paralogismi q̄ fiunt rōe ampliatōis termīorū: vt subicm̄ in ꝓpōe de p̄terito p̄t sumi p his q̄ sūt vel fuerūt: et in ꝓpōe de futuro p his q̄ sūt vel erūt: vt si arguat: Quicunq; sanabat sanus ē: laborās seu languēs sanabatur: ergo languens sanus est. nam illa minor languens sanabatur ē distinguenda eo q iste terminus languens p̄t supponi p his q̄ nūc sūt lāguētes deo tando q iste q̄ nūc ē languēs sanabatur ⁊ tūc discursus est vniuocus: sed minor

est falsa. Vel pt supponere p illis q̃ fuerũt languẽtes: vt denotetur q̃ iste q̃ fuit languẽs sanabat: ⁊ tũc minor ẽ vera: sed discursus nõ valet: qz iste terminus ĩ cõclusiõe sumit p tpe pñti rõe illius verbi est: et sic nõ sumitur eodẽ mõ in p̃missis et in conclusiõe. Et ideo cõmittitur hec fallacia ꝓm hũc modũ. Iste sũt distiguẽ de: vidẽs fuit cecus: cecus erit videns. Utq̃ fuit impossibile: impossibile erit verũ: Loquẽs fuit mutus: mutus loquit: et consimiles. Et ideo penes istũ modũ peccat sophista posito casu q̃ nõ fueris in ytalia: hec: tu ñ fuisti in italia ẽ ĩpossibilis: hec: tu non fuisti in italia sit vera: igit aliquod verum sit impossibile. Iste est euidẽs iste erit cecus: igit aliq̃s cec⁹ erit videns. Sor. viuet: sor. erit mortu⁹: ergo aliq̃s mortuus viuet. Conclusiões taliũ sophismatũ sũt distinguẽde cõiter ꝓm q̃ subã pñt sumi p his q̃ sunt: ⁊ tũc sũt false: ⁊ nõ sequũtur ex p̃missis cũ termini nõ supponãtur p eodẽ tpe ĩ p̃missis et conclusiõe. vel pñt accipi p his q̃ fuerũt q̃ntũ ad conclusiones de p̃terito. vel p his qui erũt quãtũ ad ppõnes de futuro: ⁊ tũc sũt discursus boni ⁊ cõclusiones vere. Vñ hec ppositio aliq̃ verũ fuit impossibile ẽ ꝟa subõ accepto p eo q̃ fuit vex: ⁊ est falsa subiecto accepto p eo q̃ vex ẽ. ⁊ sic de similibus. Circa q̃ notandũ: q̃ isti paralogismi pñt poni ĩ primo mõ huius fallacie et in tertio. vñ ille paralogismus: quicunq̃s sanabatur: ⁊c: ponit ab auctore in primo mõ: a pbo ꝟo in tertio. Spectat nanq̃ ad primuz modum: qz licet illa dictio laborãs non significet principaliter plura cũ significat: tñ eq̃ p̃mo pl'a tpa. In tertio aũt mõ põt poni q̃ illa dictio simplex seu per se posita nõ cõsignificat plura tpa: sed cõposita: seu cuz alijs dictõibus posita: vt pote ipa posita cũ verbo p̃teriti tpis consignificat tempus p̃sens et p̃teritum. Est aũt cõsignificare cũ principali significato aliq̃d imptare: vt principale significatũ de laborãs ẽ labor vel langor: et vltra hoc imptat certas differẽtias temporis ꝓm exigentiã verbi cui addit. Itẽ notandũ q̃ in istis paralogismis quãdo est equiuocatio in medio q̃ ponit ĩ vtra q̃ p̃missarũ: eit distinguẽda vtraq̃ premissarum: sed qñ est equiuocatio in maiori extremitate solũ debet distingui maior ppõ. ⁊ conclusio in qua ponit maior extremitas: ⁊ qñ est equocatio in minori debet distingui minor cum conditõne.

Amphibologia. ⁊c.

Post ꝟ auct. determiauit de fallacia equiuocationis q̃ fit ꝓm multiplex actuale dictõis Hic consequẽter determinat de fallacia amphibologie que fit ꝓm multiplex actuale orãtõis. Est aũt fallacia amphibologie idoneitas decipiendi p̃ueniẽs ex vnitate orõnis ꝓm substantiã seu materiam et ꝓm modũ p̃ferendi seu ꝓm formã diuersa significantis. Causa apparentie est actualis vnitas orõis cui videt correspondere vnũ significatũ. Causa defect⁹ est multiplicitas significatorũ: et dicitur amphibologia ab amphi quod est dubium: et bole quod est sententia: quasi dubia sententia. Huius fallacie ponuntur ab Aristotile tres modi consimiles modos equiuocatõis. Primus modus est quãdo orãtio vna actualit significat pl'a eq̃ p̃mo: vt liber Aristo. vno mõ idem ẽ q̃ liber factus ab aristotile: ⁊ sic iste genitiuus aristo. cõstruit cũ illo ntõ liber in habitudie cause efficiẽtis: alio modo idem ẽ q̃ liber possessus ab Aristo. ⁊ sic iste genitiuus cõstruit cũ habitudie possessoris: ⁊ format sic paralogism⁹ Quicquid ẽ aristo. possidet ab arist. iste liber ẽ aristo. ergo possidet ab aristo. vtraq̃ p̃missarũ ẽ duplex: nã mediũ scz ens aristo. põt sumi p re facta ab Aristo. ⁊ sic maior ẽ falsa: et minor vera. Alio mõ pt sumi p re possessa ab aristo. ⁊ sic maior est ꝟa et minor falsa: sic illa orãtõ cõtingit tacentẽ dicere ẽ distinguẽda: qz tacẽtẽ pt regi a dicere a pte aũ in ratõe suppositi: et ẽ sensus: Cõtingit q̃ tacens dicat aliq̃d. vel pt regi a dicere a pte post in rõe appositi: et ẽ sensus: Cõtingit di-

tere aliquem esse tacentem: sic potest distingui illa. Vellem pugnantem me capere: sensus enī est q̃ vellem q̃ inimici mei caperent me: vel q̃ ego caperez inimicos meos. ¶ Et notandum q̃ multiplicitas significatoꝝ eiusdem orōis que attenditur in hac fallacia ꝓuenire debz ex ꝑte orationis seu compositiōis terminoꝝ et nō ꝓpter multiplicitatem alicuius suorum terminoꝝ absolute: qz tunc non esset amphibologia: sed equiuoca⁹: sicut illa: canis currit ē distinguenda ratione illius termini canis. ¶ Secundus modus huius fallacie ē quādo orō significans vnum ꝓpꝛie transumit ad significandum aliud ratione alicuius similitudinis ibidem repte: vt litt⁹ arare trāsumitur ad operam perdere: et paralogisatur sic: Quicquid aratur: aratro scinditur: littus aratur qñ inuanum laborat: ergo littus aratro scinditur. Non sequit: qz littus arari significat ꝓꝑe terrā scindi: trāsumptiue aūt opus perdi. vñ hoc solet dici in vanum laborant: tā enī ille qui littus arat q̃ ille qui inuanū laborat opus perdit: si igitur aratur sumatur ꝓꝑie maior est vera et minor falsa. ¶ Tercius modus hui⁹ fallacie est qñ orō per se sumpta tm̄ vnuz significat: cōposita vero plura. vt ista oratio: Asini sk̄ significat tm̄ vnū: et qñ additur episcopi: vt dicendo asini sunt episcopi plura significat: qz episcopi ꝑt esse nominatiui casus plis numeri: vel genitiui singularis: et sic paralogizak̄: Quicūq̃ sūt episcopi sunt homines: asini sunt episcopi: ergo asini sūt homines. Si enī ēpi sit nominatiui casus: maior ē vera et minor falsa: si aūt sit genitiui casus: maior ē falsa et minor vera. Si aūt in maiori sit nominatiui casus et in minori genitiui: ꝑmisse sunt vere: sed discursus non valet: qz arguitur in quattuor terminis: qñ medium nō sumit eodē mō in premissis. Similiter ista oratio scit falsū seu falsuz scit: qz habet vnum sensum falsum. s. q̃ falsum est sciens aut scientiam habens. sed si addatur alteri potest haberī diuersos sensus: vt si dicatur: sortes intelligit et falsum scit. vnde est sensus q̃ falsum habet scientiam illius q̃ sortes habz scientiam de falso. ¶ Coincidit aūt hec fallacia cū equiuocatōe: vt si dicak̄: aliq̃s hō fuit iustus: et ille nunq̃ fecit iusticiam: hec ē distinguēda: qz hoc ꝓnomē ille ꝑt esse demōstratiuū: ⁊ sic poterit secunda pars esse vera aliquo demōstrato q̃ nūq̃ fecit iusticiā. vel ꝑt esse relatiuū: et tunc est falsa. Est autē hic tertius mod⁹ amphibologie qz si ista orō Ille nunq̃ fecit iusticiaz poneretur ꝓ se: ⁊ nulla alia orō ꝑcederet nō possz habere nisi vnū sensū qz hoc ꝓnomē ille non posset eē nisi demonstratiuum: qz nihil ꝑcederet qd̄ referret. Potest etiā ibi esse prim⁹ modus equiuocationis: qz illa orō Ille nūq̃ fecit iusticiam distinguenda est eo q̃ hoc ꝓnomen ille potest esse demonstratiuū vel relatiuū.

Ompositio. ⁊c.

¶ Postq̃ auctor determinauit de fallacijs ī quibus ē mltiplicitas actualis: hic consequēter determiat de illis in q̃b⁹ est multiplicitas potētialis. s. de compōne: diuisione et accentu: licet aūt accētus fiat in dictionibus: et compō in orōnibus: et dictio sit prior orōe: sicut simplex cōposito: prius tm̄ agit de compōe: qz paralogismi facti ꝓm compōem efficatiores sūt ad decipiendum: et ꝓ ꝓñs ad finē sophisticī q̃ ē apparēs sapīa. Est aūt compō, put ꝑ sumit coꝝ q̃ dūt diuidi, falsa compositio. ¶ Fallacia ꝓ compōis ē idoneitas decipiendi ꝓueniēs ex idētitate orōnis ꝓm materiā q̃ ē ꝓ in sensu diuiso et falsa in sensu cōposito. Cā apparētie ē materialis identitas orōis rone cuius creditur q̃ sicut ē vera ī sensu diuiso q̃etiam sit vera ī sensu composito. Causa defectus est diuersitas significatoꝝ. Et notādū q̃ orō dr̄ cōposita qñ ꝑtes posite ī orōe situanť ꝓm situm magis sibi debitū vt si determinatio determinet illud det̄minabile qd̄ magis ē apta determinare verbi grā in hac orōe Quicq̃d viuit sp

est: si ly semp determinet illud ꝓbū est quod est copula principalis erit sensꝰ cōposit⁹: ⁊ illa ꝓpositō erit falsa. Si vero determinet illō verbum viuit erit sensꝰ diuisus et ꝓpō vera: et varietas hoꝝ sē suum patet ex diuerso mō ꝓferendi seu diuersa punctuatōe. sic hec oō sedentē possibile ē ambulare est cōposita si dictū subiciatur ꝑ se toto: qꝛ ꝑdicatuꝫ scꝫ ille modus possibile competentius refertur ad totum dictum q̄ ad eius partem cuꝫ sit eius determinatio. Si ꝓo dictū subiciatur ꝑ ꝑte sui erit diuisa: varietas etiā hui⁹ modi sensuū patet ex diuersa prolatione eius. Si enī ꝓferatur continue erit composita: si ꝓo discōtinue: puta faciendo punctum ad sedentē erit diuisa. ¶ Huius fallacie sūt duo modi qui possunt assignari conformiter ī hac fallacia et in fallacia diuisionis. Primus mod⁹ est ex eo q̄ aliquid p̄t attribui alteri coniunctim vel diuisim: vt in ꝓpōe modali dictum p̄t supponere ꝑ se toto: vel ꝑ ꝑte sui sic paralogisādo: Quemcūq; possibile ē ambulare: possibile est vt ipe ambulet: sedentē possibile ē ambulare: ergo possibile est q̄ sedens ambulet. Ad quod sciendū q̄ minor est duplex: quia si hoc dictū sedentē ambulare suppōat ꝑ se toto respectu illius p̄dicati possibile: tūc ē de dicto et est falsa. Sensus est ēm q̄ idem simul pōt esse sedens ⁊ ambulans. Et dicitur de dicto: qꝛ ꝑtes dicti designantur adinuicem vniri: scꝫ sedere ⁊ ambulare. Consequentia etiā est falsa hoc modo: scꝫ q̄ sedens ambulet. Si aūt illud dictū supponat ꝑ parte sui tunc est diuisa de re: ⁊ ē ꝓa: quia sensꝰ est q̄ ille q̄ nunc ē sedens habet potestatem ambulandi: et sic bene sequit̄ ꝛclusio vera. s. possibile ē vt sedēs ambulet. Si vero minor sumatur in sensu diuiso et conclusio in sensu composito cōmittit̄ fallacia arguendo a sensu diuiso ad sensum cōpositum: et dicit̄ hmōi ꝓpō ī sensu diuiso esse de re: qꝛ talis propō equalet duabus cathegoricis: ita q̄ de eadem re vel ꝑsona enunciatur in vna cathegorica esse sedens: et in alia posse ambulare: vt sortes ē sedens: et sortes habꝫ potentiam ad ambulandum: non tamē ita q̄ sit simul sedens et ambulans: sic hec potest distingui Non scribentem possibile ē scribere: ꝑm hunc modum potest distingui ista: omne animal rationale et irrationale ē homo eo q̄ pōt esse de disiuncto subiecto vel disiunctiua. Si sit ō disiuncto subiecto ē compositio ⁊ falsa. qꝛ tunc denotatur q̄ omne quod ē anīal rationale vel irrationale sit homo: quod falsum ē: quia oīs asinus et oīs bos et vniuersaliter oīe animal ē rationale vel irrationale: et tamen nō oīe anīal ē homo. Si aūt sit disiunctiua ē diuisa et vera: hec enī est vera: Oīe anīal rationale est homo: vel omne animal irrationale non est homo: quia altera est vera: scꝫ prima. ¶ Secundus modus hui⁹ fallacie puenit ex eo q̄ aliqua determinatio potest ferri ad diuersa: et sic paralogizatur: Quicunq; scit litteras, nunc didicit illas: sed iste scit litteras: ergo nūc didicit illas. Ad hoc dicendum q̄ maior ē duplex: quia hec determinatō nūc potest determinare hoc verbum didicit et sic ē composita et falsa: et sequit̄ conclusio falsa: vel potest determinare hoc verbū scit: et sic est diuisa et vera: non sequit̄ cōclusio: qꝛ arguitur a sensu diuiso ad sensum compositum: Sic etiam pōt distingui illa,: Quicquid viuit semper est: vt p̄dictū est: sic etiam et ista distinguenda Oīs disputans malicioſe loquit̄: qꝛ illud aduerbium pōt determiare verbum vel participium. Si determinet verbum est falsa: et ē sensus compositus. quia cū aduerbium sit magis natum determinare verbum q̄ participiū: partes illius ordinant̄ magis in situ magis sibi debito. Si autē determinet ꝑticipium est diuisa et vera: hoc etiam modo potest diuidi illa: Omnis faciēs aliq̄d inordinate agit.

Iuisio est eorum. ⁊c.

Pꝰ fallaciā cōpōis q̄ fit ꝑm q̄ ꝑtes ī oōe posite ordināt̄ ī situ magꝭ debito ī q̄. s. ō ꝓitate ꝑmōis accipiūt̄. dicit̄ aū, ō fallā disiō⁹ q̄ fit ꝑz si

tum partibus orationis minus debitum
Est autē diuisio eorum que debent com
poni falsa separatio. ¶ Fallacia aūt di
uisionis est idoneitas decipiendi proue
niens ex eo q̄ oratio eadem fm materiā
et differens scōm formam plura significat. Causa apparentie est idētitas orati
onis cum veritate sensus compositi rati
one cuius creditur esse vera in sensu di
uiso. Causa defect⁹ est diuersitas signifi
cato⁹ oratōis composite et diuise. Hui⁹
fallacie duo sūt modi cōformes mōis fal
lacie cōpositionis. Primus modus est
fm qō aliquid p̄t attribui alteri coniun
ctim vel diuisim: puta aliqua cōiunctio
pōt coniungere terminos vel ppōnes:
vt omne animal est rationale vel irratiōa
le: et sic paralogizatur: Omne anīal ē ra
tionale vel irrationale: sed nō est anīal
rationale: ergo omne animal ē irrationa⁹
Maior ē duplex: q̄ illa cōiunctio disiū
ctiua vel p̄t cōiungere ppōes: et sic pro
positio illa disiunctiua ē diuisa et falsa.
Sensus eiī ē q̄ omne anīal est rationa
le vel omne animal est irrationale quo⁹
vtrunq̄ est falsum: et ex tali maiore be
ne sequitur conclusio falsa. Si aūt coni
unctio coniungat inter terminos: sic p
positio illa ē de disiūcto p̄dicato compo
sito et vera: et tūc nō sequit cōclusio: sed
cōmittitur hec fallacia arguendo a sen
su composito ad diuisum. ¶ Et notādū
q̄ oratio dicit composita qn̄ p̄iunctō cō
iungit inter terminos eo q̄ cōiunctio p̄
mo ē cōiunctiua ptiū orōis: et sic partes
ordinātur in situ magis debito sibi: qn̄
vo coniunctio cōiungit inter ppōes vr̄
orō diuisa. q̄ cōiūctio nō ē p̄mo cōiūcti
ua ppositionū sz ex cōsequēti et primo
Hoc mō pnt distingui iste ppōes duo ⁊
tria sunt quinq̄ Omne animal ē sanum
vel egrum: omnis linea ē curua vl recta:
omnis numerus ē par vel impar: omnis
substantia vel est corporea vel incorpo
rea: et consimiles: que in sensu compos
to sunt vere: et in diuiso sunt false. hoc
etiam modo possunt iste distingui. Se
dentem impossibile ē ambulare: album
impossibile ē esse nigrum: ⁊ sic de alijs.
¶ Secundus modus ē ex eo q̄ aliq̄ de
terminatio pōt referri ad diuersa: vt tu
scis tm̄ tres hoīes currere: posito q̄ sex
currant: et tu scias tm̄ de tribus. Et sic
paralogisatur: Tu scis tantum tres ho
mines currere: sed quicquid scitur ē ve
rum: ergo tantū tres homīes currere est
verum. maior est duplex: q̄ hec dictō tā
tū p̄t determinare hoc verbum currere
et sic ē diuisa et falsa: ⁊ ex illa bn̄ sequit
cōclusio falsa. Sensus enim eius ē q̄ tu
scis q̄ tm̄ tres hoīes currūt: quod ē fal
sum per casum positum. vel potest det̄
minare hoc verbum scis: et tūc ē compo
sita et vera. Sensus eni ē q̄ tm̄ habes
scientiam de cursu trium hominū: et tūc
non sequitur conclusio: sed cōmittitur
hec fallacia arguendo a sensu composito
ad sensum diuisum. qō patet: q̄: illa di
ctio tm̄ in maiori determinat illud vbū
scis: qō ē copula principalis: in oratōne
vo hoc verbum currere.

Accentus est recta. ⁊c.

Hic auctor determīat de falla
cia accentus: et primo deter
minat q̄d sit accentus: dicēs:
q̄ accentus ē recta lex vel regula ad ele
uandū vel deprimendum syllabam vni
uscuiusq̄ dictionis. ¶ Pro quo notādū
q̄ accētus pōt sumi dupliciter: vno mō
p eleuatione vel depressione syllabe.
Alio modo p regula exprimente modū
talis eleuatōnis vel depressionis: ⁊ hoc
secundo modo diffinitur ab auctore. Di
citur aūt accētus de accento as qō ē iux
ta cātare: q̄ talis eleuatio vel depres
sio fit in prolatōne facta circa causatum
vel quasi in cātu. In platōne nanq̄ bre
uium vel longarum est quidā cātus cuz
vna sepe eleuetur et alia deprimatur: et
diuiditur accentus in acutum: grauem:
et circumflexum. Accentus acutus fit p
syllabe eleuationem. et dicitur acutus:
q̄ sicut corpus acutum mouet tactuz fa
ciliter pungendo sic talis accētus pene
trat auditum syllas eleuādo: accēt⁹ gra
uis fit p syllē depssionē q̄ vr̄ grauis ad

similitudinem corpis grauis q̃ tẽdit de orsuz: circũflexus partim deprimit: ⁊ partim eleuat. Consideratur quoq̃ accẽtus a grãmatico et logico alr̃ et alr̃. A grammatico siquidem vt ẽ accẽtus syll'e dictionis. A logico aũt inquantũ ad variationem accentus sequitur variatio significationis. Fallacia accentus ẽ idoneitas decipiendi pueniens ex multiplicitate dictõis eiusdem ꝓm materiã: et diuerse ꝓm modum ꝓferendi. Causa apparẽtie est materialis vnitas dictõis ratione cuius videtur tm̃ habere vnum significatũ Causa defectus ẽ diuersitas significatorum ꝓm diuersos modos ꝓferendi illi⁹ dictionis. ¶ Huius aũt fallacie sũt duo modi. Primus modus puenit ex eo q̃ aliq̃ dictio põt regi diuerso accentu: et ꝓm hũc modum sic paralogisatur: Omnis ara est in templo: stabulum porcorũ est ara: ergo stabulũ porcorũ ẽ ĩ templo. Utraq̃ p̃missarum ẽ duplex: qz hec dictio ara quãdo habet primã breuẽ significat stabulũ porcorũ: et qñ habet primã longam significat altare: iuxta illũ Virgilii: Est ara porcorũ: simul est ⁊ ara deorum. Si igitur illa dictio in p̃missis sumatur p stabulo porcorũ: tũc maior est falsa: et sic bene sequit conclusio falsa. Si autẽ in maiori sumatur p vno: et in minori p reliquo: tũc p̃misse sunt bene vere: sed ñ sequitur conclusio: qz medium variatur et cõmittitur hec fallacia. ꝓm etiã hunc modum sic paralogisatur: Quicq̃d hamatur: hamo capitur: vinũ amatur: ḡ vinum hamo capitur: soluitur vt p̃cedẽs. Illa enĩ dictio amo aliõ significat sine aspiratõne: et aliõ cũ aspiratõne: Nam sine aspiratõe significat diligere: cũ aspiratõne aũt pisces cum clauo curuo capere Variatio aũt aspiratõis facit varietatem accẽtus: qz syllsa cum aspiratõne plata magis eleuatur: cũ ibi sit maior spiritus emissio: sed sine aspiratõne plata magis deprimitur. Scõm etiã hũc modum potest diuidi illa propositio: Iustos viros oportet pendere: Illa enĩ dictio p̃t scribi p e vel p a: Si scribitur per e: tũc aut habet mediam longam: et sic ẽ infinitiuus huius Vbi pendeo pendes: ⁊ tunc significat penam pati siue suspendi. aut habet mediam breuem: et sic est infinitiuus huius Vbi pendo pendis: ⁊ tunc significat penã inferre seu suspẽdere. Si Vo scribatur p a: tunc est infinitiuus huius verbi pando pãdis: et significat manifestare. Secũdus mod⁹ puenit ex eo q̃ aliq̃d p̃t esse dictio vel orõ: vt B: tu es qui es: et quies est req̃es: ergo tu es req̃es. Utraq̃ p̃missarũ est duplex: qz quies põt esse vna dictio vel plura: ⁊ ꝓm hoc habet diuersa significata: ꝓm hũc etiam est distinguenda Deus nihil facit inuite: qz si inuite sit vna dictio: tũc ẽ vera. Sensus enĩ ẽ q̃ ös nihil facit coactus. Ille enĩ dicitur inuitus aliquid agere q̃ aliq̃d agit illud vitare non valens. Si aũt in vite sunt due dictões: tũc ẽ falsa. cum deus pducat vinum in vite. Simlr̃ est hic distinguẽda: Metuo longas noctes perenute lidia dormis. Metuo nam q̃ potest esse vna dictio: et tunc significat idem q̃ timeo. Unde sens⁹ ẽ: Lidia tu dormis: et ego metuo. i. timeo lõgas noctes. vel sũt ibi due dictiones. s. me ⁊ tuo: et ẽ sensus Lidia tu dormis lõgas noctes me sponso tuo pereunte. vl'sunt ibi tres dictiones. s. me. et tu. et. o. ⁊ est sensus O lidia tu dormis lõgas noctes me pereunte.

Allacia figure dictõis.

ꝛẽ. Hic consequenter determinat auctor de fallacia figure dictõis q̃ peccat ꝓm multiplex fantasticum seu apparens et nõ existens: vt dictum est in precedẽ. Pro cuius declaratõne describit figurã p̃pe dictam dicẽs q̃ figura ẽ q̃ termĩo vl'terminis clauditur: termino: vt circulus q̃ clauditur tribus lineis. ¶ Circa qõ notandũ q̃ figura vno modo sumit̃ p sup ficie terminata linealiter: et sic sumitur in proposito: et pertinet ad genus quãtitatis: alio mõ p ipa terminatione vl'dispositione q̃ntitatis: et sic ptinet ad quar

tam speciem qualitatis: ꝓm aūt conformitatem ad figuram ꝓpe dictam que ē in rebus sumitur figura in dictionibus. Sicut nanq; illud quod fit ad figurā alterius assimilatur ei ꝓm apparentem superficiem: sic fallacia figure dictōis ē idoneitas decipiēdi ꝓueniens ex apparenti similitudine dictōis cum dictione sibi in voce aut significatōe aut modo significandi. Causa apparentie huius fallacie ē ꝓtialis similitudo dictōis cum dictione. Causa defectus est diuersitas earum seu similitudo per quod possūt generaliter solui sophismata que fiūt ꝓm hanc fallaciam ostēdendo scz aliquā diuersitatem inter significata vl modos significandi ⁊ accña dictionū. Et ideo licet aliq̄s modus arguēdi teneat in aliq̄bus dictionibus: nō tamen seqūtur q̄ valeat in alijs q̄ videtur eis similes ꝓpter huiusmodi diuersitatez. Huius fallacie assignātur a pbo tres mōi quos recitat auctor in fine huius capituli. Primus modus ē qñ masculinum interptatur femininū: id ē ponitur vel accipit ac si deesset femininum vel neutrū: et sic pōt dici de alijs dictionibus grāmaticalibus Aū hec fallacia sepe ducit ad soleocismū: et hoc ꝓuenit aliqñ ex simili terminatione dictionum: vt si arguat: omnis substantia ē bona: patriarcha ē substātia: ergo patriarcha est bona: non sequitur: q: patriarcha ē masculini generis ⁊ ponitur ac si esset feminini generis: sed bene sequeretur si loco huius nomīs patriarcha poneretur petra: vel aliud nomen feminini generis. vñ bñ sequitur: Omnis substantia est bona: petra ē substantia: ergo petra ē bona. Aū licet sit similis terminatio hoꝝ terminoꝝ petra ⁊ patriarcha nō tamē idē modus arguendi ratione diuersitatis generis ipsorum. Potest etiā paralogizari ꝓm hunc modum vbi non est similis terminatio dictionum sic: omnis subia ē bona: lapis ē substantia: ergo lapis ē bona. hic ē apparentia non ex simili terminatōe dictionum: sed quia lapis et petra sūt idē: sed nō sequitur: q: licet in his sit ꝓueniētis significatōis nō tamē generis. Secūd⁹ modus ē qñ vnū ꝑdicatū mutat in aliō seu ponit ꝓ alio: vel spēs vnius ꝑdicamēti ꝓ alia spē vt q̄d heri emisti hodie cōedisti: crudū heri emisti: ergo hodie crudus comedisti. Non sequitur: q: quicq̄d significat rem suā ꝓ modus substātie: et crudū dicit rem suam ⁊ modus qualitatis: et sic ꝓceditur a re vnius ꝑdicamēti ad rē alterius sumēdo qualitatē sub distributiuo substantie. Unde iste mod⁹ sepe accipitur qñ sub distributiuo alicuius generis sumitur aliq̄d ad aliud genus ꝓtinens: sicut quantumcūq; distributiuum quantitatis cōtinue et quotcunq; discrete. quēdoq; ꝗo ē ꝑdicamēti quādo: et vbicūq; ꝑdicamēti vbi. Sic qualecūq; ē distributiū qualitatis: et sic de alijs ꝑdicamētis vbi sūt nomina imposita. Itē ꝗ ē figura dictionis Do tibi solū denariū: sed solum denarium nō habeo: ergo do tibi quod non habeo. nō sequitur: hic enī ꝓcedit a relatōne ad substantiam: cum solū dicat relationem. Solū nāq; idē est q̄ nō cū alio ꝓm Aristo. 2. elencho. Alius autē dicit relationē. Illa aūt dictio q̄d dicē subaz. Similiꝗ hic: Aliq̄s dat cito equū sed nō habet cito equū: ergo dat q̄d non habet. Soluit vt ꝑcedēs: q: ꝓcedit a q̄litate ad subam. Cito enī dicit modum actus siue qualitatem et quod substantiam. Talis igit ñ dat quod non habet: sed quod habet. alio tamē mō seu vt nō habet. Similit ꝗ. Quātoscūq; digitos heri habuisti: hodie habes: sed heri decem habuisti: ergo hodie habes. Posito casu q̄ vnū amiserit. Nō sequitur: q: hec dictio quantoscunq; dicit quantitatem continuam: hec vero dictio decē dicit quantitatem discretam: ⁊ sic procedit a specie vnius ꝑdicamenti ad alteram speciem eiusdem. Tertius modus est quando quale quid interpretatur ꝗ⁹ aliquid: id est quando nomen cōmune ponitur ac si esset singulare: ⁊ econuerso: et in hoc sepe variatur suppositio: vt si arguatur homo est species: ergo aliq̄s

homo est species: non sequit. Mutatur enī quale qd in hoc aliqd: et pceditur a simplici suppōe ad psonalem: hō eñ in añte supponit simpliciter ꝑ natura cōi. In consequente vero psonaliter ꝑ aliq̄ supposito illi⁹ nature. similiter hic: omnis homo ē animal: ergo animal est omnis hō: animal in antecedente supponit confuse tantum immobiliter: in cōseq̄nte vero supponit determinate ꝑ aliquo supposito: ⁊ mutatur quale quid in hoc aliquid. Apparet autē q̄ tales paralogismi concludant eo q̄ quale quid: ⁊ hoc aliqd videtur idem significare: tamē nō concludunt: q: ꝓpter similem significationem duarum dictionū nō sequit conuenientia earum in quolibet mō significandi. ¶ Et notandū q̄ non oñis variatio suppositōis causat fallaciam figure dictionis: tunc enī in demonstratōe potissima esset figura dictionis: sed tūc q̄n maxime fit hec fallacia quando arguit a trino extante confuse tm̄ vel simpliciter ad eundem stantem determinate: quod est verum dummodo nulla fit variatio sincathegreumatis in antecedente positi. Unde hec nō ē figura dictionis: omnis homo ē animal: ergo anīal ē homo. licet animal in añte supponeret confuse tm̄ et in cōsequente determinate: ⁊ hoc ꝓpter variationez illius signi omnis qd̄ ponit in añte et nō in consequente. Itē notandum q̄ isti modi diuersimode a diuersis assignantur: sed de hoc parum ē curandum. Non enī inconuenies ē eundem paralogismū in diuersis modis ⁊ ī fallacijs assignari fm varias causas apparentie eiusdem: vt iste paralogismus homo ē spēs: sortes ē homo: ergo sortes est species: ptinet ad hanc fallaciam inquantū est ibi causa apparentie ex similitudine dictionum. Spectat ꝯo ad fallaciā accñtis inquātum ex identitate terminoꝝ in tertio videtur esse idētitas eorum inter se.

De fallacia accidentis.

Accidens est. ⁊c.

Postq̄ auctor determinauit de fallacijs in dictione q̄ habent causam apparentie a pte vocis: hic consequenter determinat de fallacijs extra dictionem in quibus sumit causa apparentie a parte rei significate ꝑ vocez. Prius aūt determinauit de fallacijs in dictione q̄ extra dictionem: q: licz ordine nature res pceedant dictiones: tamen nō ingrediūtur disputatōes vocales nisi mediantibus dictionibus. Fallacie extra dictionem sunt septem: scz accidens fm quid ad simpliciter: ignorantia elenchi: petitō principij: consequens nō cā vt causa: plures interrogationes vt vna Et primo agitur ꝗ de fallacia accidētis que inter ceteras ē valde efficax ad decipiendum. Per has eñ non solum decipiūtur simplices sed etiam sapientes. ¶ Circa qd̄ notandū q̄ accñs nō sumit hic ꝓut ē vnū de q̄nq̄ pdicabilib⁹: sz sumit pout ē idē qd̄ extraneū: q̄ scz in pte ē idē cū aliq̄: et in pte diuersū ab eo: ⁊ sic oñe pdicabile de aliquo a quo ē aliq̄ mō distinctū ꝑt dici accñs: ⁊ illō de quo predicatur dicit res subiecta: et hoc modo nō tm̄ inferiora accidūt superioribus: sed etiam superiora inferiorib⁹: licz sint de essentia inferiorum inq̄ntū stant sub aliquo tertio attributo: qd̄ repugnat inferioribus. Sic eñ hō accidit sorti cum quo ē in pte idem ꝓut sumit ꝑ suppositis: vt dicēdo sortes ē hō: ⁊ est in pte diuersum ꝓut sumit ꝑ nā vli cui attribuit ista intentio spēs cui⁹ ē fūdamētū: vt dicēdo hō ē spēs q̄ intētio repugnat inferioribus. ¶ Fallacia accñtis ē idōeitas decipiendi ꝓueniens ex ptiali identitate accñtis cū re subiecta. Cā apparentie est cōuenientia fm ptē aliquorum duorum adinuicem: vel in aliquo tertio.

Causa falsitatis est diuersitas eorūdem Fit hec fallacia fm Arist. quādo idē similiter fuerit assignatum inesse rei subiecte ⁊ accidēti: vt hō ē spēs: sortes ē hō ergo sortes e spēs. Hoc mediū scz hō ē accñs: minor extremitas scz sortes ē res

subiecta: maior. Vno extremitas scz spēs est attributum: qō imponit silr inesse sorti sicut inest homini. Scōm vno auctorē assignantur tres modi hui⁹ fallacie: primus modus est qñ aliquid attribuit primo accñti in p̄missis: et postea attribuit rei subiecte in cōclusiōe: vt ī exēplo predicto. Itē sic paralogizat: Sortes ē indiuiduū: homo ē sortes: g̃ hō ē indiuiduū Nō seq̃tur: q: nō oportet q̃ q̃cq̃d inest accidenti a pte q̃ differt a re subiecta insit rei subiecte: sicut nec oportet q̃ oñe q̃ inest p̄dicato insit subiecto: et ideo licet intentio indiuidui insit sorti: non tamen inest homī. Silr oñe es ē nāle: statua ē es: g̃ statua ē naturalis: nō sequit vt dictū est. Nullū enī artificiale ē naturale. vñ medīū si tenet vniformiter in p̄mis⁹. Itē sic Cognosco coruscū: coruscus ē veniens: ergo cognosco veniētē: nō sequit q: licet coruscus cognoscat a me: nō tamen sub illo attributo qō ē venire. Secūdus modus huius fallacie puenit ex ptiali idētitate aliquor duor in aliquo tertio: vt sortes ē hō: plato ē hō g̃ sortes est plato. Item hō est asal: equus ē animal: ergo hō est equ⁹. Sed nō sequit: si aliq̃ duo ptialiter cōueniant in aliq̃ tertio q̃ sint simplr eadem inter se. Et si arguatur p aliam regulā: Quecunq̃ vni ꝛ eidem sūt eadē inter se sūt eadē p quā tenet forma syllogismi pfecti. Respondeo fm aquilinū doctorē Sco. 2. distī. p. sen. q̃ illa regula ītelligit q̃ illa que sunt eadē vni et eidem sūt eadē inter se illa identitate que sūt idem ī tertio. Si aūt inferat q̃ sint simplr eadē inter se cōmittitur hec fallacia: intelligitur scōm guillielmum Ocham: Quando extrema vniuntur in tertio vniuersaliter sūpto. Tertius modus prouenit quando ex aliquib⁹ diuisim sumptis infertur aliquod coniunctum: vt iste est albus ꝛ monachus: ergo est albus monachus. Nō sequitur: quia in antecedente denotat albedo inesse isti fm se: et in consequente fm suum habitum. Similiter iste canis est pater: et est tuus: ergo est tu⁹ pater. Non valet consequentia. q: tuus in antecedente dicit rem possessam: et ī cōsequente infertur pro re generante. vnde licet predicta conueniant in aliq̃ tertio fm partem: tamen fm partem differunt. Non obseruatur etiam hic forma syllogistica: quia medium ponitur ī cōclusione: et extremitates ponuntur a p te eiusdem extremi. ¶ Et si arguatur q̃ a diuisis ad coniuncta est bona consequentia ex secūdo pyermenias. Respōdeo q̃ illa regula est vera: dum tamē nō predicentur aliqua sibi inuicē repugnātia: sed vnum sit potentiale respectu alterius. Non valet etiam consequentia: quando eorum que predicantur vltimū includitur in primo: vt iste est homo: et est animal: ergo est homo animal: Non sequitur. quia animal intelligitur in homine ex coniunctis etiam non licz inferre diuisa quando vnum est in subiecto p alterum et non per se. Unde non sequit Iste est albus monachus: ergo est alb⁹. et est monachus: quia albedo non inest tali subiecto scōm se sed ratione habit⁹ Non sequitur etiam: Iste est bonus faber: ergo est bonus: et est faber. quia bonitas non inest subiecto scōm se: sed fm artificium. ¶ Item ex coniunctis non licet inferre diuisa quando vnum diminuitur a ratione alterius: vt iste est homo mortuus ergo est homo: sed est ibi fallacia a scōm quid ad simpliciter. In alijs vero exemplis est fallacia accidentis. Posset etiam iste tercius modus reduci ad secundum: ponitur tamen ad maiorem expressionem.

¶ Et notandum q̃ paralogismi huius fallacie vt in pluribus possunt solui ostēdendo q̃ non debite disponuntur p̄mis se. In modo et in figura fm regulas syllogismorum: vt dicit Ocham: Peccāt enim fm Scotū: vbi s̄ propter defectū identitatis medij in se: seu per comparationem ad extrema que in ipso vniunt.

Sequitur de fallacia a scōm quid ad simpliciter.

¶ Ad cuius euidentiam notandũ q̃ sic̃ dictum ē in loco a toto in modo ad suaz ptem triplex ē determinatio: Quedam est distrahens: in qua scz ē oppositio in adiecto: qz determinatio addita repugt suo determinabili: vt mortuus: hō enim mortuus non ē homo. Alia ē determinatio que partim diminuit de ratōe illius cui adiungit: licet ei ñ repugnet: vt opinabile. Alia ē determinatio tm̃ contrahens: vt album respectu homīs dictuz: ergo simpliciter dicitur dictum sumptũ sine addito: id est sine determinatione. Et intelligitur in ꝓposito de determinatione diminuente vel distrahente. Dcm̃ aūt fm quid est dictũ sumptũ cũ tali determinatōne. arguendo igitur a dcō sūpto cũ determinatōe diminuēte vel distrahente ad dictum simplex: ⁊ ecōuerso fit hec fallacia. Quādo aūt ē determinatio tm̃ cōtrahens non ē locus sophistic⁹ sed dialecticus a pte in modo ad suũ totum. ¶ Est ergo fallacia a fm quid ad simpliciter idoneitas decipiēdi ꝓueniens ex apparenti idoneitate dicti scōm quid ad dictum simpliciter. Causa apparentie est conueniētia dicti fm q̃d ad dictum simpliciter. Causa falsitatis ē diuersitas eorundem. Huius fallacie pōit auctor hic quinq̃ modos. Primus ē arguēdo fm determinatōem distrahentez vel diminuentem rationē totius: vt iste est homo mortuus: ergo ē homo: qz mortuum distrahit rōem homīs. Similiter chimera est opinabilis: ergo chimera ē non sequitur: qz opinabile diminuit de esse chymere. Secūdus modus fit fm determinationem denominātem ptem integralem: et hoc ē verũ quādo ad denominationem ptis nō sequit denomīatio totius: vt ethyops est albus fm dentes: ergo ē albus: licet eñ homo habeat dentes albos: nō ꝓpter hoc dicitur alb⁹ Quādo vo determinatio habet partez corpis sibi determinataz: seu ad ei⁹ denominationem: sequitur denomīatō totius nō cōmittitur hec fallacia. Añ bñ sequit iste ē albus fm oñes vt maiores ptes corporis apparētes: ergo est albus Iste ē simus scōm nasum: ergo ē simus. ¶ Tertius modus fit arguendo cum determinatione respectiua ad aliquid extrinsecum: vt diuitie nō sunt bone male vtenti: ergo non sunt bone in se. Quartus modus fit arguendo cũ determinatione fm locum: vt bonũ ē mactare p̃rem interuallis: ergo bonũ est mactare p̃rem Quintus modus fit arguendo cũ determinatōe fm tempus: vt bonũ ē ieiunare in quadragesima: ergo bonũ ē ieiunare. Oñes isti syllogismi possunt solui negando consequentiam: qz ex dicto fm quid non sequitur dictum simpliciter. Cōmittitur etiā hec fallacia arguendo a dicto simpliciter ad dictum fm quid: cum sit eadem causa apparēti vtrobiq̃: vt ē homo: ergo ē homo mortuus: nō sequitur: vt patet ex p̃cedentibus.

Lēchus est syllogs ⁊c.

Postq̃ auctor determinauit de fallacia ad fm quid ad simpliciter: hic agit consequēter de fallacia ignorantie elenchi Circa qō p̃mittit q̃d sit elenchus: dicens q̃ elenchus ē syllogismus ꝓtradictionis vnⁿ et eiusdē nō nomīs tm̃: nec rei tm̃: sz rei ⁊ nominis: nō synonimi sed eiusdem ex his que data sūt de necesse nō cōnumerato qō erat in principio ad vniuersale fm idem: similiter et in eodē tempore. Ubi sciendum q̃ elenchus dicitur syllogismus cōtradictionis: id ē syllogism⁹ concludens cōtradictorium positioni respondentis. Et ponitur syllogism⁹ tanq̃ genus et contradictionis sicut drñia: et hoc ad drñiam syllogismi non cōtradicentis positioni respondentis. Unde ex syllogismo et contradictōe q̃si ex materiali et formali constituitur elenchus. ⁊ ponitur vnius et eiusdem scz subiecti et p̃dicati nō nominis tantũ: nec rei tm̃ sed rei et nominis simul: non synonimi: que pticule ponuntur ratione syllogismi et contradictionis: tam enī ad syllogismum q̃ ad contradictionē exigit: qō nomē sit vnum et res vna: et q̃ nomen

